This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

**Über dieses Buch**

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

**Nutzungsrichtlinien**

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

**Über Google Buchsuche**

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

Le
10
15

LE10.15



Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received 12 April, 1889.

831

# QUAESTIONES EUANTHIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EDUARDUS SCHEIDEMANTEL

VIMARIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS LEOPOLD & BAER.

MDGCCLXXXIII.

Σ e10.15




Constantius Fund

GEORGIO GOETZ

SACRUM.

## Pars I.

### De auctore praefationum.

Commentarius comoediarum Terentii, qui vulgo sub Aelii Donati grammatici celeberrimi nomine circumfertur, cum ad hoc tempus editione maxime apparatu, qui dicitur, critico instituta careret, a paucis tantum hominibus modo hac ex parte modo ex illa in examen vocatus, ut ager indomitus accuratiorem diligentioremque tractationem exspectat. Qua de causa, ut is, qui ad eum colendum propius accedit, multos summi pretii fructus ex eo percipere potest, ita haud parvum periculum est, ne in humo salebrosa et vestigia fallente cadat. Jam igitur conemur, si nobis hoc in campo felicem messem facere sit concessum.

Atque in prima quidem huius dissertationis parte quaeram, quem ad auctorem praefationes illae, quae singularum comoediarum commentarium antecedunt, referendae videantur.

Priusquam autem ad haec transgrediar, haud abs re sit, de commentis, quae dicuntur, breviter disputare, hac quidem de causa, quia ex his maxime illi quaestioni, quam solvendam nobis proposuimus, lux afferetur.[1])

---

[1]) Felices nos dicimus, quod et haec commenta et illas praefationes ex librorum fide emendata edidit A. Reifferscheid in ind. sch. univ. Vratisl. per hiem. annor. 1874/75 et 1875/76 habendarum, ut hac in parte commentarii optimis fere fundamentis nitamur. Summae autem auctoritatis in his esse. Paris. 7920. 5. XI notum est. (cf. Reiff. ind. sch. 1874. p. 1—2. Dziatzko: Zum Terenzkomment. des Donat. Mus. Rhen. XXIX, 445—462.) Qui codex, quod iam in commentario Adelph. verbis: „modeste additum mea" (I, 1,40) finitur, vehementer dolendum est. Praeterea olim alius bonus codex, qui totum commentarium continebat, Maguntiae in bibliotheca S.

## Caput I.

### *De tractatu Euanthii.*

Statim initio commentarii post illam notissimam Ter. vitam, quam ex Suetonio haustam nemo nescit, haud pauca inveniuntur ad comoediam spectantia, quae in duas maxime partes segreganda esse et eis perlectis intellegitur, et inde patet, quod haec verba: „Comoedia est fab." etc (cf. Reiff. comm. 8, 4.) undè altera pars sine dubio incipit, in Par. inscriptio: „De Comoedia" antecedit.

Lindenbrogius autem primus priorem partem Euanthio grammatico Constantinopolitano, quem a. 360 mortuum esse apud Hieron. traditur, assignavit. Cum enim apud Rufinum Antiochensem (in metr. Ter.: G. L. VI, 554, 4—9) haec invenisset verba: „Euanthius in commentario Terentii de fabula, hoc est de comoedia sic dicit: „„concinna argumento consuetudini congrua utilis sententiis grata salibus apta metro"" et postea sic: „„veteres etsi ipsi quoque in metris neglegentius jambici versus dumtaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione huius metri quantum potest comminuti ad imaginem prosae orationis"" atque ea omnia ad verbum — „egerunt" tantum in Ruf. codic. non exstat — in illa priore parte (Reiff. comm. 5,17 sq. 6,9 sq.) legeret, totum hunc tractatum ab Euanthio originem traxisse

---

Martini ecxlesiae cathedralis a Joh. Aurispa inventus est, ex quo omnes libros recentiores sive manu scriptos sive typis impressos fluxisse H. Keil exposuit in ind. sch. Hal. aest. 1870. p. VIII. Ad haec accedere codicem Bodleianum 5. XV. interpolationibus non depravatum Dziatzko demonstravit in Fleckeis. — annal. suppl. X, 662. Illic simul eae scripturae publicatae sunt, quas hic codex in tractatu Euanthii praebet. In omnibus locis reliquo ex commentario petitis ad Fr. Lindenbrogii et Henr. Westerhovii editiones comoediarum Terent., quibus commentarius Donati additus est, confugere coactus fui, comparandi causa R. Klotzii editione Terent. et Don. adhibita in qua ille duas maxime editiones ab editoribus ut ei videbatur nondum interpolatas duces secutus est. Joh. C. Zeune autem in edit. Ter. et Don. nihil aliud fecit, nisi Westerhovium exaravit, nonnullis, quas ipse invenit, coniecturis insertis.

conclusit. Alterum autem commentum, quin Donatum auctorem haberet, eam ob rem in dubium vocatum non est, quia totus commentarius, quem ex trium maxime interpretum adnotationibus compositum esse cum ipse locuples testis est tum Usener (Mus. Rhen. XXIII, 495 sq.) fusius explanavit, Donati unius in codic. nomine utitur, qua re indicari videtur ei praecipuam maximamque totius operis partem attribuendam esse. Sed de his postea. Nunc de priore commento dicendum nobis est.

Hoc enim Euanthianum esse Lindenbrogius, ut iam scimus contendit, sectatoresque omnes fere viros doctos nactus est praeter unum Aug. Teuberum, qui [1]) non Euanthium ipsum, sed magistrum quinti fere saeculi eruditione quadam imbutum hunc tractatum composuisse conplurium grammaticorum maxime Donati et Euanthii libris compilatis sibi persuasit. Quam ad opinionem, quomodo ille pervenerit, non alienum videtur paucis exponere.

Leguntur enim in praef. Andr. (Reiff. 5,3 sq.) „difficile est divisionem actuum in Latinis fabulis internoscere obscure editam, causam iam dudum demonstravimus.“ Causa autem huius rei in Euanthii commento enarratur, ubi exstant: (Reiff. comm. 5, 22—6,4) „Comoedia vetus ab initio chorus fuit etc. . . . . nam postquam otioso tempore fastidiosior spectator effectus esset et tum cum ad cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere et abire coepisset, admonuit poetas . . . . postremo ne locum quidem reliquerunt, quod Latini fecerunt comici, unde apud illos dirimere actus quinque partitos difficile est“ quem locum eum esse, qui in praef. Andr. laudatur, pro explorato fere habendum est, quia duobus aliis praef. locis (pr. Ad. 7, 2—6 pr. Eun. 10, 6—10) eadem de re simillime disseritur [2]).

[1]) Progr. Eberswald. 1881. de auctorit. comment. in Ter. quae sub. Ael. Don. nom. circumferuntur. p. 5.

[2]) Haud dubie concedendum est: cum in pr. Andr. verbis: „causam iam dudum demonstravimus“ locus superior laudetur, cum talis locus in

Quae cum Teuberum non fugissent, haec statuenda esse putavit: Praefationes a Donato compositae sunt; quae in eis de actuum divisione docentur, mirum in modum congruunt cum eis, quae in Euanth. tract. eadem de re explanata habemus. Apparet igitur, cum Donatus dicat: „causam iam dudum demonstravimus" in commento suo hac de re eum verba fecisse. Nunc ea ipsa quidem temporum fluctibus submersa sunt, sed insunt in eis, quae in Eu. tract. de actibus dirimendis leguntur Deinde tribus aliis huius tractatus locis cum praefationum enuntiatis comparatis idem demonstrare Teuber studuit. (cf. Teub. p. 4, 5.) His igitur omnibus ille eo ductus est, ut tractatum non ab Euanthio ipso conscriptum, sed a magistro recentiorum temporum et ex Euanthio et ex Donato sententiis petitis compositum atque in unum redactum esse censeret; quam opinionem eo confidentius amplexus est, quia „tractatus tenui, ut ipsius verbis utar, exilique dicendi genere insignis absurdis quibusdam sententiis maculatus est."

Perlustremus igitur paulo accuratius tractatum omissis quidem illis argumentis, quae Teuber ex praefationibus sumpsit nullaque opinione praeiudicata, ut videamus, num Teuberi sententia aliquam saltem probabilitatis speciem prae se ferat.

Atque primum quidem, quod Teuber dicit commentum propter tenue exileque dicendi genus Euanthio abiudicandum esse, verba sunt sine omni argumenti vi atque pondere.

Primum enim materia, quae tractatur, alius stilus nullo modo efflagitatur, tum quarto p. Chr. saeculo sermonis latini ubertatem atque elegantiam pervalde iam evanuisse Donatus Euanthii aequalis luculentissimus testis est.

Atque ea quae initio tractatus de tragoediae et comoediae nominum origine exponuntur, cum satis similia sint eis, quae

---

Euanth. tantum tractatu exstet atque dicendi genere et sententia valde adspiret ad duo alia praef. enuntiata, fieri non posse, quin inter hos locos arta statuatur coniunctio.

Diomedes in tertia Art. Gr. parte eadem de re habet, (Gr. L. I, 487, 11—488, 14) quin ex bono in universum fonte manaverint, dubitari non potest. Diomedem enim illa in „memorabili et plena, ut ait Keil (praef. LIV) antiquae eruditionis" parte operis sui Suetonium ad verbum fere — nam hoc ille solebat — exarasse primus docuit O. Jahn, (Mus. Rhen. IX, 629) assensum autem tulit H. Keilii (Gr. L. I, pr. LVI.) et A. Reifferscheidii (Suet. p. 370 sq.) neque nunc hac de re ulla dissensio exstat [1]). Suetonium autem rursus Varronis inprimis auctoritatem secutum esse haec verba: „ut ait Varro" documento sunt, quae saepius apud Diom. (487, 15. 488, 6. 489, 18) leguntur.

Item auctor tractatus per aliorum nescio quot grammaticorum libros, quae Varro de trag. et com. nominibus interpretandis docuit, accepisse mihi videtur. Quod si verum ducimus, optime expediri potest, quomodo factum sit, ut in summis hic atque Diomedes consentiant, in singulis diversa tradant, ita quidem, ut ab eisdem fere verbis Graecis profecti in interpretatione ipsa tantum inter se differant.

His igitur expositis, quo temporis ordine tragoedia et comoedia prolatae sint, explanatur, porro conditoribus utriusque generis commemoratis (cf. ad haec Hor. a. p. 275 sq.) Homerum his quoque carminibus exempla dedisse contenditur, cum Iliadem instar tragoediae, Odysseam ad comoediae imaginem composuerit. Quae sententia tantopere Teubero displicuit, ut quarti saeculi grammatico eam indignam arbitretur. Quid? Grammaticus quinti saeculi talia excogitare potuit; quarti virum doctum similia scripsisse incredibile est? Quid? quod huius doctrinae vestigia usque

[1]) Hac tantum de re inter viros doctos controversia est, quo ex libro Suetonii Diom. hauserit, cum Jahn: „Historiam ludicram", Keil, „Prata", Reiff.: „de viris illustribus" fontem eius fuisse suspicati sint. Ego in Reiff. sententiam inclino, quia Suetonium, priusquam poetas ipsos tractaret, pauca de origine et genere poematum praemisisse non est, cur non facile credamus.

Σ e10.15




Constantius Smith

GEORGIO GOETZ

SACRUM.

enim? illo in enuntiato: (Reiff. comm. 5, 13 sq.) „Hoc igitur quod supra diximus malo coacti omittere satiram etc.“ quod Euanthii esse illis: „concinna etc.“ evincitur, nonne expressis verbis ea, quae antea de satira narrata sunt, laudantur? At vero ea, quae de vetere comoedia exposita invenimus, Euanthium auctorem habere satis argumenti esse videtur haec res, quod verbis: (comm. 5, 5) „sed cum poetae lic. abuti stilo etc.“ transitum fieri ad ea, quae subsequuntur, manifestum est. Postremo haec (comm. 5, 18—21) „ut igitur superiores etc..... retinetur exponere“ et ipsa propter verba: „ut igitur superiores“ Euanthio accensere, num temerarii est?

Euanthius igitur — nam ita iam dicere posse mihi videor — usque ad Terentium progressus, se iam nova comoedia in universum neglecta de arte comica — Terentii scilicet maxime — explanaturum, quod in veterum chartis retineatur, pollicetur [1]).

Et cum revera in eis, quae post leguntur, hac de re sermo sit, cum unum enuntiatum Euanthii esse Rufinus testetur, iam non nulla causa esse videtur, cur totam hanc tractatus partem ab Euanthio originem traxisse statuamus, praesertim cum neque enuntiatorum conexu haec sententia labefactetur neque repetitione aut ulla alia re difficultates nobis parentur. Hoc unum autem monere haud alienum videtur, tota hac in parte nihil fere generaliter de comica

---

in parte legitur, sanandum censeam. Est autem hic (comm. 5, 7 sq.) „et hinc deinde aliud genus fabulae .... quae a satyris .... vocitata est, etsi aliunde nomen prave putant.“ Aut nihil video aut scribendum: „etsi alii aliunde nomen prave ducant.“ „alii“ excidisse iam Reiff. coniecit.

[1]) Hic Leoni adversari coactus sum, qui pro verbis: „de arte comica“ „de parte chorica“ coniecit. Quid? in ea, quae sequitur, tractatus parte num de choro tantum disputatur? Nonne aliarum multarum rerum prologi, θεῶν ἀπὸ μηχανῆς etc. mentio fit? — nam haec ab illis, quae sunt de choro, disiungi non licere certissimum fit adverbiis: „tum“ (comm. 6, 4) „deinde“ (6, 5) etc. — Quid Terentii ars non praedicatur et cum aliorum maxime Plauti comparatur? Quare tradita hoc loco optime mihi quadrare videntur.

arte dici, sed paene omnia ad Terentii unius laudem spectare, ut haud inepte eam pro digressione accipias.

Terentii igitur virtutibus expositis iam, quod Teuber bene demonstravit, (p. 6) auctor tractatus his verbis (Reiff. comm. 7, 7) „Illud vero tenendum etc.“ illuc, unde discesserat, revertens, quae fabularum genera comoedia Graecorum Romam translata a Romanis inventa sint, nos edocet; tum de comoediae ipsius natura paucis disserit, tragoedia comparandi causa aptissime arcessita [1]).

Post haec diversa, ut ita dicam, indole comoediarum, quae sunt aut statariae aut motoriae aut mixtae, breviter tacta, paulo copiosius de quatuor earum partibus: de prologo etc. dicitur.

Haec autem, utrum semper finem tractatus fecerint necne, nunc difficilius est ad diiudicandum, quamquam ego ipse propensior sum eam ad sententiam, ut alia etiam ad comoediam ipsam pertinentia his adnexa fuisse censeam [2]).

Videmus igitur, ut paucis iam omnia, quae adhuc exposuimus, complectamur, tractatu per se spectato nullum proferri posse argumentum, quo Euanthio eum abiudicandum esse suspicio moveatur, cum duo enuntiata ad eum recedere Rufini testimonio constet, cum sententiae semper fere arto inter se vinculo coniunctae sint, cum illa, quae Teuber auctori tractatus opprobrio vertit, partim excusata partim repulsa sint.

---

[1]) Haec rursus tantopere in universum consentiunt cum loco Diom. III, 488, 14—20, ut haec quoque ex vetere neque alieno a Diom. fonte manasse suspicari nobis liceat.

[2]) Hac in parte unum tantum enuntiatum (comm. 7, 18 sq.) „Latinae fabulae primo a Livio . . . . suarum fabularum fuisset“ interrumpit sententiarum ordinem. (conf. Dziatzko Fleckeis. — ann. suppl. X. 687 adn. 3), qui cum eo remoto sit optimus, contendere non vereor id alio de loco falso huc delatum esse. Atque speciosissima est O. Ribbeckii, quam mecum benigne communicavit, coniectura, qui haec verba reliquias esse existumat amplioris tractatus, in quo de actoribus fabularum disputatum sit.

Sed haec quidem hactenus.

Nunc alterum quoque commentum paulo uberiore commentario perlustrare in animo est, quia ex hoc et ipso aliquid redundaturum esse spero ad quaestionem nostram de auctore praefationum solvendam.

---

## Caput II.

### *De commento II.*

Hoc in universum a Donato originem traxisse, iniuria autem temporum non minus quam interpolatorum licentia valde corruptum atque perturbatum esse, virorum doctorum, ut iam vidimus, opinio est, quae ex parte tantum a Teubero comprobatur, cum is (p. 6) prius huius tractatus caput, quod est usque ad verba: „Fabula generale nomen est" (Reiff. comm. 9, 23) a magistro recentissimorum temporum conscriptum esse censeat.

Atque id quidem facile Teubero concesserim neque perspicuitate neque nitore sermonis hanc partem insignem esse. Tamen hac ex re, si quid omnino, certe non multum colligi potest. At, inquit, nullo sententiarum vinclo haec pars cum eis, quae infra leguntur, coniuncta est! Itane vero? Nonnullis enim de comoediae nomine allatis pauca de natura et origine eius exponuntur, tum diversis tragoediae nominis interpretationibus explanatis, quos paulatim tragoedia fecerit progressus, edocemur, finem faciunt illi memorabiles Horatii versus (a. p. 275 sq.) „Ignotum tragicae etc."

Haec in universum eadem sunt atque ea, quae initio Euanthii tractatus leguntur.

Quid igitur? Illic talia apta sunt tamquam in locum praefationis praemissa; hic non quadrant?

Alia autem quaestio est, quanti singula, quae hac in parte memoriae produntur, facienda sint, qualemque sententiarum conexum prae se ferant.

Atque in his quidem, quamquam multa sunt, quibus attenti lectores iure offendantur, tamen inesse nonnulla, quae bonum fontem habere videantur, negari non potest. Ita definitionem comoediae usque ad Theophrastum redire testis est Diomedes. (Gr. L. I, 488, 3 sq. et 487, 11 sq.)

Praeterea duae nominis comoediae interpretationes (comm. 8, 7—12) enotantur, quae rursus prope accedunt ad duas, quae apud Diom. (III, 488, 8—12) exstant. Ac ne tertia quidem interpretatio, quae paulo post legitur (comm. 8, 18—21), cum eam verbo κῶμος tamquam fundamento niti planum sit, inepta est neque intellego, cur Teubero (p. 6) haec verba: „laeti alacresque" tantopere displicuerint, cum tantum absit, ut hoc loco stulte addita videantur, ut nihil magis κώμου proprium sit, quam petulantia et lascivia.

Atque in eis quoque, quae de tragoedia monentur, nimis ridiculas, quas Teuber dicit, sententias, indagare vix possis.

Nomine enim eius a verbis τράγος et τρύξ derivato, quod idem apud Diom. et Euanth. fieri haud ignoramus — quousque haec vera sint, id quaerere huc non pertinet — tragoedias primum in honorem Liberi ad eiusque facta celebranda compositas esse narratur.

Postremo Thespis pater tragoediae et is, qui eam provexit, Aeschylus commemorantur [1]).

Vides igitur a bonis sententiis hanc partem vacuam

[1]) Hoc enuntiatum prorsus sanum non est. Leguntur enim: (Reiff. comm. 9, 6 sq.). „Thespis autem primus haec scripta in omnium notitiam protulit, postea Aeschylus sequitur prioris exemplum publicavit" Atque Reiff. quidem post exemplum aliquid interiisse ratus, cetera intacta reliquit. Mihi autem primum pro „sequitur", „secutus", quod ed. pr. tradit, recipiendum videtur; tum „publicavit" movet offensionem. Quid enim? Si Thespis haec scripta iam „in omnium notitiam protulit" num verisimile est, Aeschylum idem fecisse hoc loco moneri? Quare ego maxime spectans ad illos Horatianos versus (a. p. 275), qui paulo post adscribuntur, locum sic restituendum esse conieci „Thespis autem primus haec scripta in omn. not. protulit, post ea Aeschylus, secutus prioris exemplum, amplificavit."

non esse; eam autem totam uti nunc exstat ad unum eundemque recedere defendere non ausim. Ad exemplum haec verba: (comm. 8, 15) .... „Andronicus repperit aitque esse comoediam cotidianae vitae speculum“ depravata esse pro explorato habeo. Nam eis, quae ad haec verba interpretanda addita sunt (comm. 8, 16 sq.) „nec iniuria, nam ut intenti speculo veritatis lineamenta facile per imaginem colligimus, ita lectione comoediae imitationem vitae consuetudinisque non aegerrime animadvertimus“ respici ad Ciceronis locum supra adhibitum: „Comoediam esse Cic. ait imitationem vitae, speculum consuetud., imaginem veritatis.“ documento est haec res, quod ne unum quidem Ciceronis verbum hac in interpretatione deest.

Jure igitur nostro statuemus pro illis verbis: (comm. 8, 15), „aitque esse comoediam etc.“ haec initio posita fuisse: „aitque Cicero esse comoediam etc.“ et apparet tum alterutrum de his Cic. enuntiatis ad interpolandi studium revocandum esse; sive diversa excerpta prave confusa atque conglutinata esse, cuius sententiae patronus est O. Ribbeck.

Sed est aliud quoque, in quo ego haereo. Tertia enim nominis comoediae interpretatio, num ab eodem originem traxerit, a quo superiores, valde dubito, quia ab illis pluribus sententiis segregata est neque tamen ullo verbo illae laudantur.

Quare, ut contendere nolo totam hanc partem ad eundem auctorem referendam esse, ita hoc comprobasse mihi videor, eum qui posterioris huius commenti partis auctorem Donatum esse non neget, hanc quoque in universum illum scribere potuisse concedere coactum esse, praesertim cum in altera huius tractatus parte non minora sint, quibus iure offendamur. Cum enim initio (comm. 9, 24—10, 1) iam comoediarum species enumeratae sint, paulo post (comm. 10; 5—8) nonnullis aliis intercalatis rursus de „tribus comoediarum formis“ palliata, togata, Atellana disputatur, atque ita quidem, ut utraque eundem scripsisse prorsus incredibile

sit. Sequitur tum illud notissimum enuntiatum (Reiff. comm. 10, 1—2) „personati primi egisse dicuntur comoediam Cincius Faliscus, tragoediam Minucius Prothymus" quae cum adversari videantur eis, quae apud Diom. (III, 489, 11.) tradita habemus: Roscium primum personas adhibuisse, diverso modo hanc discrepantiam explicandam censuerunt viri docti, quam rem accuratius persequi non est huius loci [1]).

Jam vero ei enuntiato, quo poëtarum in inscribendis comoediis ratio explanatur, (comm. 10, 2—5) longe meliorem locum esse ante verba: (comm. 11, 1) „In plerisque fabulis etc." nemo non videt. Auctor autem huius loci, cum „omnium comoediarum inscripta ex quatuor omnino rebus sumi, ex nomine, loco, facto, eventu" doceret, utrum vetustioris scriptoris sententiam ante oculos habuerit necne, diiudicare non ausim, quia alium locum, ubi de fabularum disputetur titulis, indagare non potui. Certe ille, si ex bono fonte hausit, complura minus recte intellexit atque depravavit. Ita prorsus desideratur hac in partitione ingens numerus illarum fabularum, quae de re aliqua appellatae sunt, velut: Rudens, Trinummus, Aulularia Cistellaria etc.; ita Captivis atque Asinariae factum dedisse nomen perverse traditur; ita Heautontimorumenon eventum comoediae demonstrare is tantum contendere potest, qui fabulam ipsam ne legerit quidem.

Sequitur illis, quae sunt de tribus comoediarum formis, intermissis enarratio de quatuor comoediae partibus, quam non malam esse Teubero (p. 6) concedo, quamquam id unum silentio praeterire nolim, prologum a verbis *πρῶτος λόγος* deduci.

Reliqua autem in materia tractanda auctorem comm. II ordinem didascaliarum, quae dicuntur, secutum esse, rectis-

[1]) Conf. O. Ribbeck: Römische Tragödie p. 660 sq. Steffen: act. soc. Phil. Lips. II, 154 sq. Chr. Hoffer: de Person. usu in Ter. com. Hal. 1877.

sime observavit Teuber (p. 6, 7), quod idem iam Dziatzko ante eum vidit. (Mus. Rhen. XX, 586).

Quodsi iam ad singula pertractanda transgredimur, ante omnia hoc praemonendum est ad quaestiones lubricas atque intricatas nos nunc venire eoque difficiliores, quo maior dissensio de plerisque est inter viros doctos. Qua in disceptatione, ut arbiter esse nolo, ita facere non possum, quin breviter, quid de singulis sentiam, exponam.

Ac primum quidem de his dicendum nobis est: (Reiff. comm. 11, 1—6) „In plerisque fabulis priora ponebantur ipsarum nomina quam poetarum, in nonnullis poetarum quam fabularum, cuius moris diversitatem antiquitas probat. Nam cum primum aliqui fabulas ederent etc.“ — — usque ad „ut per ipsorum vocabula fabulis attentio adquireretur.“

Hic Ritschl (Par. Plaut. I, 301) pro „ponebantur“ „pronuntiabantur“ scribendum esse censet, quam coniecturam Wilmanns (de didasc. Ter. Berl. 1864. p. 52) atque Dziatzko (Mus. Rhen. XX, 586) feliciter refutaverunt, cum ostenderent primo in enuntiato de scriptis titulis verba fieri, tum causam, cur in his modo poetarum modo fabularum nomina priorem locum teneant, ex diversa titulorum pronuntiandorum ratione derivari. Utrum autem, quae hoc loco docentur, vera sint necne, alia quaestio est. W. Wagner (Fleck. — annal. 1865, p. 286, adn. 2) confidenter ea insectatus est, cuius a partibus ego quoque stare velim. Nam, quid interfuerit, utrum Adelph. Ter. an Ter. Ad. diceretur, intellegere nullo modo possum. Id enim vix crediderim Romanos attentiores auditores se praebuisse, si Ter. Ad. pronuntiatum erat, quam si Ad. Ter. Sed admiratione sane dignum est, quod in Bembino codice revera „Eunuch. Ter. facta II“ et „Heaut. Ter. facta III“ leguntur, in omnibus autem posteriorum fabularum titulis Terent. nomen antecedit. Quae causa huius discrepantiae fuerit, nescimus. Hoc autem dubium non est, quin ad eam explicandam illa, de qua dicimus, doctrina in-

venta sit [1]). Enumerantur tum quatuor ludorum, quibus fabulae actae sint, species: Megalenses, funebres, plebei, Apollinares, quos omnes ab aedilibus curulibus curatos esse traditur. Haec plena sunt errorum. Nam primum ludi Romani immerito prorsus omissi sunt, tum ludis Romanis tantum et Megalensibus aediles curules praefuisse constat.

De eis, quae haec sequuntur, in quibus praeter alia pauca de vestitu actorum memoriae produntur, nihil habeo, quod moneam, nisi hoc unum esse cur miremur, quod, quamquam in toto commenti II. altero capite comoedia sola respicitur, nihilominus hic nonnulla afferuntur, quae pertinent ad vestitum tragicarum personarum, qua de causa Schopen (Mus. Rhen. 1827, 158) haec aliunde irrepsisse suspicatus est. Forte non absonum sit hac ex re concludere, eum qui hoc commentum composuit, cum alicubi nonnulla invenisset explanata de habitu maxime quidem comicarum personarum verum etiam tragicarum ea cupide arrepta in dissertatiunculam suam integra fere recipisse.

Dicendum nunc nobis esset de loco illo gravissimo, in quo de deverbiis [2]) et canticis, horumque in exemplaribus

---

[1]) Fuit cum cogitarem, num fortasse auctor illius loci haec dicere voluisset: nomen poetae in prioribus eius fabulis ante comoediae actionem omnino non evulgatum esse, sed ad exemplum sic tantum pronuntiatum esse: „ludis Megalensibus fabula agetur, cui nomen Andriae est“ itemque postea, cum poeta iam inter claros habitus esset, promissum tantum esse fabulam actum iri Terentii, ut hoc modo exspectatio hominum magis excitaretur. Tamen eum sensum in loco, quem tractamus, inesse persuadere mihi nequeo. Haec enim: „nam cum primum aliqui .... ipsarum nomina pronunt. antequ. poet.“ si opinione non praeiudicata perlegerimus, fieri non poterit, quin de tituli pronuntiatione in ipsa fabulae actione cogitemus; et maxime, si hoc enuntiatum respicimus: „In pler. fab. priora etc.“ certissimum fere fit eum, qui hanc doctrinam protulit, semper uno tempore et poetae et fabulae nomen, diverso tantum modo, pronuntiatum esse persuasum habuisse.

[2]) Deverbia scribo eis de causis, quas Dziaztko (Mus. Rhen. XXVI. 97. Fleck — ann. 1871, 819) et Ribbeck: (Röm. Trag. p. 633, adn. 2) protulerunt.

poetae significandorum ratione sermo est; quae hic sicco pede transire mihi liceat, quia ea longe melius tunc accuratius in examen vocabuntur, si simul praef. Ad. locum cum hoc componemus.

Statim igitur ad haec transgrediamur: [1]) (comm. 12, 11—13) „huiusmodi carmina ad tibias fiebant — ea est scriptura Parisini; „adeo" post „huiusmodi" inepte additum in rec. cod. — ut his auditis multi ex populo ante dicerent, quam fabulam acturi scaenici essent, quam omnino spectatoribus ipsius — „ipsius" in Par. legitur, apud quem summa auctoritas; „ipsis" in recent. codicibus falso hoc verbo ad antecedens „spectatoribus" accommodato — antecedens titulus pronuntiaretur."

In quibus, quin primo obtutu offendamus, fieri non potest. Quid? ex modis tibiarum, quae ante ipsam fabulam personabant, multi, quod nomen eius esset, cognoverunt? Hoc nemo unquam sani iudicii credet. Quare Lange hanc notitiam ex loco Ciceronis (Akad. II, 7, 20) minus recte intellecto ortam esse optime coniecit. Est autem hic: „Quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibicinis Antiopam esse aiunt aut Andromacham, cum id nos ne suspicemur quidem."

Cicero igitur dicit homines artis musicae peritos, ubi primum tibicen modos inflare coepisset ex fabula celebrata saepiusque acta — nam tales fabulae Antiopa Pacuvii et Andromacha Ennii erant — statim nomen eius scivisse, qua in re nihil miri inest. Is autem, qui illud comm. II enuntiatum conscripsit, falsa opinione perductus, Ciceronem de prima actione dixisse ineptias illas, quas attulimus commentus est [2]).

---

[1]) Hoc de loco acutissime disseruit: Ritschl: Par. Pl. I, 304, cui ego plurima eorum, quae supra expono, debeo. Praeterea inspiciendus est C. A. Lange: Vindic. trag. Romanae. 1822. p. 45.

[2]) Nulla ratione probari possunt, quae Brunér (act. societ. scient.

Restat, ut de tibiis, de quibus postremo commenti II loco sermo est, disseramus.

Atque hic quidem id maxime demonstrandum mihi proposui ea, quae hoc loco docentur nulla ratione concinere cum eis, quae in didascaliis traduntur. Cum autem, hac in quaestione si sanum iudicium proferre volumus, ante omnia, quomodo ille commenti II locus et scribendus et intellegendus sit, liquido sciamus necesse sit, iam eum totum litteris mandem: (Reiff. comm. 12, 13 sq.) „Agebantur autem tibiis paribus et imparibus, id est dextris aut sinistris — aut dextra et sinistra [1]) — dextrae autem sua gravitate seriam comoediae dictionem praenuntiabant [2]), sinistrae serranae [3]) acuminis levitate iocum in comoedia ostendebant; ubi autem dextra et sinistra fabula inscribebatur, mixtum ioci et gravitates denuntiabantur."

Hoc igitur ex loco a viris doctis — iam a Salmasio

---

Fennic. IX quaest. Terent. p. 29 sq.) hanc ad sententiam refellendam monuit, praesertim cum hac in re recent. codic. scriptura: „ipsis" nixus sit. Perverse enim propter hanc scripturam populum et spectatores non idem valere ratus ipsam fabulae coram populo actionem et exercitationes scaenicas ante ludos institutas hoc loco discerni suspicatus est.

[1]) „id est dextris aut sinistris" praebet Par., cuius auctoritas summa est; edit. princ. pro „et" „aut", pro „id est" „et" exhibet. Reifferscheid autem Parisinum iure secutus post „sinistris" lacuna significata verba: „aut dextra et sinistra" supplenda esse rectissime collegit ex eis, quae subsequuntur, in quibus sine dubio de eisdem tibiarum generibus, quae antea enumerata sunt, sono cuiusque maxime respecto, copiosius dicitur.

In edit. princ. autem „aut" pro „et" atque „et" pro „id est" positum est, postquam haec: „aut dextra et sinistra" iam interierunt, ne locus omni interpretatione careret. Immerito igitur Dziatzko (Mus. Rhen. XX, 596) in his bona et vetusta odoratur. Eandem scripturam falso amplexus est Brunér (l.l. q. 6).

[2]) Sic Muretus optime pro „pronuntiabant" scripsit, quam coniecturam pro nova protulit Brunér p. 30.

[3]) „Serranae" propter Parisinum recipiendum est, quamquam „Sarranae" antiquam formam fuisse haud ignoro. Conferas, quae Mommsen adnotat ad Inscript. Lat. ant. 549.

(Em. et not. in hist. Aug. script. 494—96) — conclusum est impares tibias unam dextram et unam sinistram fuisse, pares autem aut duas dextras aut duas sinistras. Neque quisquam unquam talia hoc loco doceri negabit.

Eis autem fidem habendam esse, quod idem plerique contenderunt, ego mihi persuadere nequeo illis maxime de causis, quas Dziatzko (Mus. Rhen. XX, 596) protulit. Si enim revera res ita se haberet, intellegi nulla ratione posset, cur in didascaliis semper legeretur: „tibiis paribus" neque unquam, utrum dextrae an sinistrae essent, additum inveniretur; praeterea, cur saepius: „duabus dextris" scriptum esset neque unquam: „paribus dextris." Immo ex didascaliis cognoscitur, quatuor diversa tibiarum genera in Terentii comoediis adhibita fuisse haec: pares, impares, duas dextras, sarranas.

Praeterea hac quoque in re Dziatzko asseclam me habet, quod tibias sarranas a sinistris discernendas esse censet. Quid enim? Si revera sinistrae sarranae quoque appellatae essent, nonne satis mirabile esset, quod, cum semper: „duabus dextris" dictum sit, ne semel quidem „duabus sinistris" exstat? Sane quidem „duabus sarranis" propter „duabus dextris" exspectandum esset. Quare pro explorato habeo, illum commenti II locum, quod ad tibiarum genera rectius diiudicanda attinet, in censum non venire.

Alia autem — ut haec quoque stringam — quaestio est, num ea in re auctorem commenti II errasse putandum sit, quod dextram tibiam graviore, sinistram acutiore sono praeditam fuisse tradit. Perversa atque falsa haec esse Boeckhii (annal. Heidelb. humanit. stud. dicat. Pars III, tom. prior p. 165—170) sententia fuit, quam certiore etiam argumentandi ratione fulcire studuit Brunér, (p. 6 sq.) quocum ego, quamquam multa in argumentatione eius valde mihi displicuerunt, in summa tamen consentio atque maxime quidem in interpretatione loci illius notissimi Varronis: de re rust. I, 2, a quo quin proficiscendum sit, dubium esse

non potest: „Aliud pastio et aliud agricultura, sed affinis, et ut dextera tibia alia quam sinistra, ita ut tamen sit quodam modo coniuncta, quod est altera eiusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva .... ab his inferiore gradu aetatis susceptam agriculturam. Quocirca et succinit pastorali, quod est inferior, ut tibia sinistra a dextrae foraminibus."

Hic autem nihil aliud dicitur nisi: „Pastio et agricultura eodem modo, quo tibia dextra et sinistra inter se coniunctae sunt: pastio quasi incentiva est, cum gradu aetatis superior sit, agricultura succentiva; quemadmodum ex tibiis quoque dextra, cum prior audiatur, incentiva est eique sinistra succinit, quippe quae sit inferior a dextris foraminibus h. e. cuius foramina inferiore in loco incipiant eaque de causa flatu tibicinis post illa tangantur. Quo propiora autem foramina sunt ori, eo fortiore spiritu ea compleri eoque acutiorem sonum effici, consentaneum est [1]).

Quare, quin soni tibiae dextrae acutiores fuerint, quam sinistrae, mihi ipsi dubium non est [2]), quamquam hac de re liberum iudicium relinquere coactus sum, quia dedita opera in eam non inquisivi.

Quam infirma autem doctrina auctoris comm. II sit ad probandum, inde quoque patet, quod omnibus in codicibus

---

[1]) conf. Macrob. in somn. Scip. II, 4. „De quarum foraminibus vicinis ori inflantis sonus acutus emittitur, de longinquis autem et termino proximis gravior." Idem sensit K. d. Jan. Fleck — annal. 1879. p. 591, adn. 21.

[2]) Neque tamen hanc ob causam locum comm. II, quem tractamus, commutandum esse Boeckhio et Brunéro (l. l. p. 51 sq.) concedere possum, qui scribunt: „Sinistrae et serranae sua gravitate etc. dextrae et Lydiae acuminis levitate etc." Unum argumentum, quibus hanc transpositionem defendere possent, hoc esset, quod leguntur: „Ubi autem dextra et sinistra .... mixtim ioci et gravitates denuntiabantur." Sed haec res nullius omnino momenti est, quia chiasmus, qui dicitur, apud Latinos saepissime usu venit. Immo, ut in ceteris permultas ineptias deprehendimus, etiam hic auctorem commenti II suum arbitrium secutum suoque ingenio fretum haec docuisse iure statuemus.

Ter., quibus fides habenda est, traditur: „Eunuchus tibiis duabus dextris.“ Quare si a partibus illius staremus, hac in fabula „seriam gravitatem“ praevaluisse ex tibiarum genere concluderemus, quod quam absurdum sit, comoedia ipsa testis est.

Quare hoc iam demonstrasse mihi videor, totum commentum II, quod ad unius in universum scriptoris auctoritatem revocandum esse, cur negemus, nulla causa est, sententiis futtilibus commenticiisque, quae multum dent mirandi atque dubitandi materiam, plenam esse, ut is, qui Donatum digniorem putat, quam cui tales ineptiae imputentur, aut nomen eius a commento II prorsus removere coactus sit, aut eo ducatur, ut in commento, quod nunc habemus, frustula tantum et lacinias illius, quem Donatus scripserit, tractatus nobis servatas, pleraque autem mirum in modum perturbata atque corrupta atque interpolationibus turpiter maculata esse contendat.

Attamen caveamus, ne Donatum prudentiorem faciamus, quam ipse fuit, neve stultitiae crimen, quo eum liberare studemus, ipsi sustineamus. Nam eius rei meminisse oportet, Donatum quarto post Chr. saeculo floruisse, longe igitur iam remotum fuisse ab incorruptis verae scientiae fontibus. Eum autem revera talia scripsisse, quae perfectae doctrinae non satisfaciant, testatur Servius, cuius in commentario Vergiliano Donatus non semel tantum commemoratur, tamen ita fere semper, ut vituperatione dignus videatur. Quibus de locis optime dixit O. Ribbeck in Prol. crit. ad Verg. (p. 178 sq.) ubi, quod in universum de Donato iudicandum censeat, sic complectitur: „ubi ipse sapere ausus est, longius fere quaesita saepe adeo absurda vel ne turpis ignorantiae quidem crimine libera protulit.“

Quamquam his de causis non continuo omnem eruditionem Donato abiudicabimus, cum Servium illis maxime locis Donatum nominasse, ubi ei adversari poterat, consen-

taneum sit. Utut haec res se habet, saepissime Donatum errasse constat.

Ita peropportune Servius ad Georg. II, 4 certiores nos facit, Donatum parum Graece doctum fuisse, cum „Lenaeus" a deleniendo derivare non vereretur. Quid igitur? si in commento prologum ex πρῶτος et λόγος compositum esse legimus, haec Donato tribuere dubitabimus?

Ea igitur omnia cum considero, magis magisque hanc sententiam amplector, Donatum ipsum in universum commenti II auctorem esse, quamquam hunc tractatum, ita uti eum nunc habemus, ex manibus eius prodiisse, nemo unquam credet.

His praemissis iam ad propositum veniamus.

---

## Caput III.

### *De praefationibus earumque auctore.*

Praefationes tribus ex partibus constant, quarum in prima praeter alia de eisdem rebus disputatur, de quibus in didascaliis quae dicuntur, in altera fabulae argumentum enarratur, in postrema, quomodo singulae comoediae in quinque actus disponendae sint, accurate explanatur.

Atque prima quidem stabilem enuntiatorum ordinem et miram plerumque aequabilitatem in dicendi genere prae se fert, ut eam in universum unum auctorem habere facile tibi persuadeas. Primum enim nomine fabulae commemorato Graecus poeta laudatur, tum utrum comoedia motoria sit an stataria an mixta exponitur, deinde quibus personis primae, secundae etc. partes assignandae sint; porro disseritur de prologo, protasi, epitasi, catastrophe, postremo didascaliae enotantur, quibus cum in unaquaque praefatione neque vero eodem semper ordine servato nonnulla coniuncta sunt, quae spectant ad deverbia et cantica et ad per-

sonas, quae dicuntur protaticas. Praeterea pauca minoris momenti alia in alia praefatione addita invenies [1]).

Secundam autem atque tertiam praefationum partem ab eodem originem traxisse, ne causis quidem prolatis unicuique verisimile videbitur, quia argumentorum enarrationes tamquam fundamenta sunt, in quibus illa de actibus distinguendis doctrina exstruitur. Tunc autem certissima argumenta non sinunt nos hac de re dubitare. Legitur enim in praef. Andr. (4, 21 sq.), ubi scriptor argumento explicato ad actus discernendos transgreditur: „Perspecto argumento scire debemus hanc esse etc." paucisque praemissis statim de actuum dividendorum ratione verba fiunt. Accedit, quod haec, quae in tertia Andr. praef. parte exstant: (6, 4—5) „tum Critonis interventus et per eum cognitis rebus in tranquillum res acta" et nos commonefaciunt horum eiusdem praef. secundae partis: (4, 18 sq.) „dum Athenas veniens Andrius quidam Crito rem aperiat et nodum fabulae solvat" et simillima sunt his praef. Ad. secundae partis (8, 14 sq.) „Quae perturbatio cito in tranquillum redacta." — Haec quidem verba in Parisino omissa nihilo secius genuina esse apertum est cum ex sententiarum conexu tum ex verbis: „Nam re comperta etc." — His autem locis cum alio, qui in praef. Andr. prima parte invenitur comparatis simul id verisimile fit, primam quoque partem in universum eiusdem atque ceteras auctoris esse. Quamquam hic, ne citius neve confidentius iudicemus, cavendum est, quia, quod iam dictum, in primis praef. partibus singula enuntiata

---

[1]) Ad ea, quae Steffen: (l. l. p. 146) dicit: „denique didascaliae adiciantur et interrupto quidem sententiarum conexu: aut enim nulla particula coniunctiva addita est, aut nihil nisi: „plane" (Ad.) vel „sane" (Hec. et Eun.)" ego monitum velim hac ex re quidquam concludi non licere, quoniam in praefationibus omnibus saepissime alterum enuntiatum alterum sequitur, nullo aut verborum aut sententiae vinculo cum antecedente copulatum. Conferas ad exemplum praef. Andr. 3, 4: „haec maiori ex parte" etc. 3, 6: „in hac primae partes" etc. 3, 7: „prologus in hac acer etc."

plerumque inter se non cohaerent, faciliüs igitur additamenta irrepsisse possunt. Est autem hic locus (praef. 3, 8) „Et tamen repente ex his turbis in tranquillum pervenitur.“ — pervenitur Reiff. optime coniecit pro „pervenit.“

Eidem sententiae duobus aliis etiam locis fertur auxilium; alter est: (7, 5) „tamen a doctis veteribus disiuncti sunt — scil. actus fabularum, — ut mox aperiemus post argumenti narrationem.“ alter: (12, 16) „divisa est autem ut ceterae quinque actibus legitimis, quos in subditis distinguemus.“ Praeterea complura minoris momenti eam ad stabiliendam facere videntur. Conferas exempli gratia praef. Andr. (3, 5) „callidi servi, ancillae astutae, severi senes etc.“ et praef. Ad. (9, 11) „servatur autem per totam fabulam mitis Micio, saevus Demea .... callidus Syrus etc.“ et concedes, eidem utrumque auctori non sine probabilitate adscribi.

Jam igitur ex locis allatis perspicuum est, praefationes in universum unum auctorem habere suspicari, secundam autem atque tertiam earum partem ad eundem recedere pro certo affirmare nobis licere. Jam quaestio oritur gravissima, quem has praefationes scripsisse putandum sit.

Atque priusquam curiosius et impensa opera hanc in rem inquisiverimus, certe quidem ad sententiam eorum, qui Donatum ipsum praefationes composuisse censent, propensi erimus. Tamen, ut argumentis hoc comprobetur, valde optandum esse, nemo negabit, qui recordetur in commentarium, qui Donati unius nomine utitur, duorum aut trium grammaticorum sententias congestas esse. Quod tum tantum aliquo modo fieri posse videtur — non revera potest, ut mox videbimus — si commentum II illi assignandum esse pro certo habemus. Quam sententiam in lubrico versari quamquam demonstrasse mihi videor, tamen nunc quidem perspicuitatis causa, et ut Teuberum melius omnibusque ex partibus refutemus, aliquamdiu ita progrediamur, tamquam si ea nulla ratione labefactari posset. In

praefationibus enim revera exstant, quae ad commentum II respicere videantur.

Primum quae sunt eiusmodi (praef. Andr. 3, 1) „Andria de loco nomen accepit etc.“ (praef. Ad. 6, 17) „a fratrum facto nomen accepit“ (praef. Eun. 9, 20) „quam .... auctor de facto adulescentis .... nominavit“, componenda sunt cum loco comm. II, quem supra tractavimus (Reiff. comm. 10, 2).

Tum tales sententiae (praef. Andr. 3, 14—4, 1) „pronuntiataque est Andria Ter. ob incognitum adhuc nomen poetae etc.“ praef. Ad. 7, 18 sq.; praef. Eun. 10, 19 adspirant ad illum comm. II locum: „In plerisque fabulis.“ Deinde nonnulla eorum, quae de re musica in praefationibus exponuntur, consentire cum comm. II loco: „Agebantur autem tibiis etc.“ de quo fusius diximus, non abnuerim.

Sunt autem hi loci: praef. Ad. 7, 11 „tibiis dextris .... ob seriam gravitatem“ praef. Eun. 10, 12 „tibiis dextra et sinistra ob iocularia multa permixta gravitati.“

Restat, ut haec praef. Ad. (7, 11—15) „modulata .... saepe tamen mutatis .... modis .... ubi incipit scena.“ similia esse loco comm. II (12, 6 sq.) moneamus: „Deverbia histriones pronuntiab. etc.“, qui quamvis deformatus tamen affinitate quadam cum illis praef. Ad. coniunctus est. Jam igitur ea prolata sunt, in quibus praefationes et commentum II inter se conspirant. Atque ex his quidem certe permultis Donatum praefationum auctorem esse non absonum videbitur colligere, quam ad sententiam ego quoque me applicarem, nisi eis, qui eam amplectuntur, permagnae difficultates hac re pararentur, quod haud pauci loci in Euanthii quoque tractatu inveniuntur, qui cum praefationibus mirum in modum concordant.

Eorum locorum, in quibus de actuum divisione sermo est, iam supra mentionem fecimus. Sed sunt etiam alii.

Primus est de personis protaticis: conf. tract. Euanth. 6, 7—9. et praef. Andr. 4, 4—5. pr. Ad. 7, 15. pr. Hec. 12, 23 sq.; 13, 9.

'Alter est de bonis meretricibus, quas Terentium solum in comoedias inducere ausum esse traditur: conf. tract. Euanth. 6, 13—15, et praef. Hec. 12, 24 sq.

Tertius denique locus est de locupletioribus Terentii fabularum argumentis: conf. tract. Euanth. 7, 4—6. atque praef. Phorm. 14, 20—22. Hos autem ob locos Teuber adeo non sententiam suam, qua Donatum praefationes totas scripsisse existumat, missam fecit, ut eum in tractatu quoque inesse statueret. At supra, quantopere tractatus ipse sententiae illi repugnet, demonstravimus. Accedit aliud: si cum Teubero faceremus, illa in Euanthii tractatus parte, quae est de comica Ter. arte, inde a verbis (5, 22) „Comoedia vetus ab initio etc." usque ad (6, 15) „causa non defit" omnia fere ad Donatum referenda essent praeter unum hoc enuntiatum: „veteres etsi ipsi quoque etc.", quod ad verbum Euanthii esse scimus. Quid autem? Si compilator conplurium scriptorum enuntiata conglutinasset, nonne certe etiam permulta mutare atque corrigere coactus fuisset, ut tam bonus sententiarum conexus eveniret, quo tractatum insignem esse ostendimus? Quam igitur mirum esset, si hoc enuntiatum: „veteres etsi ipsi etc." neque verbo resecato neque suppleto integrum ex Euanthio sumptum tam bene in ceterorum enuntiatorum ordinem conveniret! Quare Teuberi sententiam fundo carere vel hac ex re apparet. Sunt autem alia quoque argumenta eaque firmiora, quibus eum refellere possimus. Contendit enim nihil dubitari posse, quin illa accurata commenti II de quatuor comoediae partibus enarratio a Donato oriunda sit. Legitur autem in hac (Reiff. comm. 10, 9 sq.) „prologus est prima dictio a Graecis dicta πρῶτος λόγος: id est antecedens veram fabulae compositionem elocutio." Quae hic docentur, aperta fronte repugnant ei sententiae, quam in Phorm. praef. 14, 23—15, 2 invenimus, ubi haec sunt: Prologus correpte ἀπὸ τοῦ προλέγειν dicitur, non producte ἀπὸ τοῦ πρωτολογεῖν, nam officium prologi ante narrationem rei quidem semper est,

verum tamen et post principium fabulae inducitur, ut apud Plautum in milite glorioso et apud ceteros magnae auctoritatis veteres poetas."

Quae Donatum auctorem habere ne Teuber quidem defendet. At hic locus additamentum est! Quid? alia quoque ab interpolatoribus inculcata esse nonne possunt? Huc accedit, quod summum est.

Exstat in praef. Andriae locus, qui et sententia et verbis mirum in modum consentit cum Euanthii tractatus enuntiato, quod e Donati horreis depromptum esse Teuber ideo non contendet, quia in comm. II altero capite eadem de re verba fiunt, sed prorsus dissimilia. Quid enim? his perlectis (praef. And. 4, 17 sq.) „periculoque Charini et Pamphili motus error in fabula: is usque ad eum finem ductus est, dum Athenas veniens Andrius quidam Crito rem aperiat et nodum fabulae solvat." — ita enim locus cum Reifferscheidio scribendus est — nonne statim ultimorum Euanthii tractatus verborum unicuique in mentem venit? (comm. 8, 1—3) „Protasis primus actus initiumque est dramatis, epitasis incrementum processusque turbarum ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris [1]), catastrophe conversio rerum est ad iucundos exitus patefacta cunctis cognitione gestorum."

Hic autem Teubero ne illud quidem refugium relictum esse, ut tractatus locum ex Donato sumptum statuat, gravissimus testis est ipse Donatus. In commento II enim leguntur haec (comm. 10, 16—18) „protasis est primus actus fabulae, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi exspectationem tenendam, epitasis involutio argumenti .... catastrophe explicatio fabulae, per quam eventus eius approbatur." Quae, quantopere abhorreant ab illis prioris

[1]) „nodus" Pithoeus verissime scripsit pro „modus", quod in Paris. ceterisque cod. legitur. Haec autem: „ut ita dixerim" alicuius momenti sunt, quia eis demonstratur haec verba: „nodus erroris" pro inusitatis a scriptore adhiberi.

tractatus, in aperto est. Illi autem praefat. Andriae loco alius, quod iam commemoravimus, eiusdem praefationis tam propinquus est et hic rursus adeo concinit cum duobus aliis praef. Andr. et Ad., ut eos omnes eundem auctorem habere, summa sit probabilitas. Et quod haud parvi faciendum videtur, tantum abest, ut hi loci ineptis interpolatoris conatibus imputari possint, ut ex toto enuntiatorum ordine non nisi summa cum vi eripiantur.

Jam igitur hoc apparet, nos Teuberum secutos permagnas in difficultates incidere et eas quidem, quae me iudice removeri non possint, nisi Donatum pro praefationum auctore habere desierimus. Dixerit fortasse quispiam, Donatum ita facile in praefationibus retineri posse, ut illic ubi eae ad Euanthii tractatum adspirant, et Donatum et Euanthium eisdem veterum scriptorum copiis usum esse statuamus. At hunc locum: „periculoque Charini etc.“ eundem scripsisse, qui tractatum composuit, extra omnem dubitationis aleam constat. Tum autem unusquisque, qui, quidquid praeiudicatae opinionis imbibit, seposito haec verba praef. Andr. (5, 3 sq.) „difficile est divisionem act. etc. causam iam dudum demonstravimus“ perlegerit et inveniet huius rei in commento II omnino nullam fieri mentionem, contra in tractatu non solum de actuum divisione disputari verum etiam eisdem fere verbis disputari, quibus in duobus aliis praef. Ad. (7, 2—6), Eun. (10, 6—10) enuntiatis, necessario haec: „causam iam d. d.“ Euanthium scripsisse concludet.

Huc accedit: ea comm. II enuntiata, quae cum praefationibus affinitate quadam coniuncta sunt, in quibusque perversa plerumque memoriae produntur, Donato assignanda esse suspicari quamquam nobis licet, tamen nemo unquam certis argumentis comprobare poterit.

Et, quod summum est: ei praef. loci, qui ad comm. II spectant, eis, qui cum tractatu Euanthii congruunt, numero tantopere superantur, ut coniectura mea, qua Euanthium

ipsum in universum praefationum auctorem esse opinor, omnes impleat numeros probabilitatis, si modo, qua via illi commento II propinqui loci in orationis conexum pervenerint, enucleari poterit. Atque hoc fieri posse confidenter spero.

Sed his missis, de quibus tum demum recte iudicabimus, si quae enuntiata Euanthii sint, liquido sciemus, iam eos locos recenseamus, quos a tractatu profecti ei vindicare possumus.

Ante omnia igitur ille gravissimus praef. Andr. locus: „periculoque Charini etc." ceterique, qui eum eo componendi videntur, totas secundas atque tertias partes Euanthio accensendas esse demonstrant.

Cum autem in praef. Ad. et Hec. primis partibus, ubi de actibus disponendis sermo est, expressis verbis („ut mox aperiemus post arg. narr." „ut in subd. disting.") tertiae partes laudentur, iam omnia, quae in praefationibus hac de re leguntur, Euanthiana esse iure nostro colligemus; cui sententiae praesidio est, quod illa praef. Ad. et Eun. enuntiata, et sententiis et verbis, ut iam diximus, prope accedunt ad Euanthii tractatum [1]).

Atque etiam ea, quae de prologo, prot., epit., catastr. in praef. monentur, ab Euanthio, nisi fallor, originem traxerunt.

Hic enim pr. Andr. (3, 8) locus: „hic protasis subtilis, epitasis tumultuosa, catastrophe paene tragica: et tamen repente ex his turbis in tranquillum pervenitur." mire, quod iam vidimus, consentit cum aliis praef. locis, quos ad Euanthium recedere inter nos constat. Quid igitur impedit, quin omnia, quae in praefationibus de protasi, epit.,

[1]) Euanthium antem Varroni inprimis debere, quae de actuum divisione narrat, his ex verbis apertum est (praef. 13, 24) „docet autem Varro etc." Qua de causa his quoque in locis pr. Andr. 6, 9 „nihil ergo secus factum ab antiquis etc." pr. Ad. 7, 5 „tamen a doctis veteribus etc." Varronem praeter alios dictum esse non nimis audax erit coniectura.

catastr. explanata inveniuntur in ordinem Euanthianorum locorum referamus [1])?

Quin etiam expressis verbis tractatus laudatur in praef. Ad., ubi haec sunt: (7, 8) „quarum partium rationem diligentius proposuimus, cum de comoedia quaedam diceremus." „Cum de comoedia quaedam diceremus" Euanthius locutus est, si, quae de titulo tractatus contendimus, non temere arrepta opinio fuit, argumenti tractatus ratione habita neque vero inscriptione eius respecta.

Si autem haec Euanthio attribuuntur, tum ea, quae de prologo dicuntur, ab alio orta esse et per se incredibile videtur et argumentis refellitur. Sunt enim nonnulla verba, quae cum et in eis, quae sunt de prologo, et in eis, in quibus de prot. etc. sermo est, legantur, illam opinionem valde commendent. Conf. pr. Andr. 3, 8: „epitasis tumultuosa" et pr. Eun. 10, 4 „et ad ultimum tumultuose." Conf. pr. Ad. 7, 6: „In hac prologus aliquando lenior" et eiusdem pr. 7, 8 „catastrophe lenior" et pr. Hec. 12, 20: „lenis catastr." His igitur necessario eo ducimur, ut omnia, quae spectant ad quatuor comoediarum partes, ab eodem — ab Euanthio scil. — conscripta esse statuamus.

Restat, ut nonnulla redarguam, quae contra me proferri possint, eis, quae sunt de prologo, arcessitis. Dixerit enim fortasse quispiam illis attente perlectis fieri non posse, quin loci alicuius comm. II, 10, 8—18 in mentem nobis veniat, ubi singula prologorum genera accuratius recensentur. Neque tamen hac ex re ilico sequitur, auctorem commenti II illa scripsisse. Quid enim? si antea tam diligenter, quae prologorum species essent, exposuerat, cur ne semel quidem illum comm. II locum laudavit, cur ne semel quidem adiecit:

[1]) Nam eundem omnibus in praefationibus inesse, ut per se probabile est, ita certissimum fit illis locis inter se comparatis. Conf. exempli gratia haec praef. Ad. 7, 7 „protasis turbulenta est, epitasis clamosa, catastrophe lenior" et haec praef. Hec. 12, 19 „atque in hac protasis turbulenta est, epitasis mollior, lenis catastrophe."

„est igitur commendaticius“ aut tale aliquid? Et omnino ea, quae in praefationibus hac de re exposita habemus, talia sunt, ut similia unusquisque dicere coactus fuerit, qui singulorum prologorum indolem accuratius describebat.

Jam igitur confidenter pergere possumus in Euanthii enuntiatis indagandis.

In primis autem ea tractanda sunt, quibus docetur, utrum fabula motoria sit an stataria an mixta; conf. pr. Andr. 3, 4—6. pr. Ad. 6, 17—19. Eun. 9, 21. Hec. 12, 13—14. Phorm. 14, 7—9.

Primum enim eundem, qui de quatuor comoediae partibus disputavit, haec quoque exposuisse, non est cur non facile credamus, tum autem ne certa quidem argumenta hanc ad sententiam fulciendam nobis desunt. Cum his enim pr. Phorm. 14, 7 „haec igitur tota motoria est quasi et in affectibus constituta paene maioribus quam comicus stilus poscere, nisi quod arte poetae omnia moderata sunt“ componas quaeso haec eiusdem praef. 14, 12 sq. „atque in ea cum et protasis et epitasis et catastrophe magni moliminis et negotii sint, ita variis leporibus asperguntur, ut etiam rerum tristium gravitatem poeta lepidus comica serenitate tranquillet“ et statim eundem — Euanthium, nam alter locus ad quatuor partes spectat — utraque scripsisse comicies. Quod eo credibilius est, quia ab his haud aliena sunt, quae in Euanth. tract. 6, 17 leguntur: „et temperavit affectum, ne in tragoediam transiliret.“ et 6, 19: „illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod eius fabulae eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem neque abiciantur ad mimicam vilitatem.“

His subnixi alia rursus Euanthio vindicare possumus. Exstant enim in pr. Hec. 12, 13—15 haec: „est autem mixta motoriis actibus ac statariis multumque sententiarum et figurarum continet in toto stilo, unde cum delectet plurimum, non minus utilitatis affert spectatoribus.“ Quae

omnia Euanthiana esse ex primis verbis cognoscitur [1]). Quid igitur? horum auctorem Euanthium esse concedis, alia, quae mirum in modum cum his consentiunt, ei abiudicabis? Conf. praef. Eun. 10, 17: „In hac Ter. delectat facetiis, prodest exemplis et vitia hominum etc." praef. Ad. 6, 19—20: „prodest autem et delectat actu et stilo etc."

Praeterea omnibus in praefationibus talia enuntiata exstant, quibus, quomodo singulae partes inter singulas personas distribuendae sint, edocemur. Quae quoniam semper inserta inveniuntur inter illa de propria singularum fabularum indole monita, et ea, quae sunt de prologo, prot. etc., certe nullius est audaciae, haec quoque Euanthium auctorem habere suspicari.

Jam vero eis exemplis, quae adhuc congessi, comprobasse mihi videor tantum abesse ut Donatum praefationes a primo usque ad ultimum verbum conscripsisse constet, ut, quin longe maior earum pars Euanthium auctorem habeat dubitationi locus vix sit relictus [2]).

Quare nunc praefationes omnino ad Euanthium redire, contendere non vereor, praesertim cum confidam fore, ut eas difficultates, quae ex illis commenti II. locis cum praefationum sententiis congruis nascuntur, ipsas argumentis atque ratione expediam.

Atque primum quidem ei loci recensendi sunt, in quibus mira quaedam de titulorum fabularum pronuntiatione memoriae produntur. — De comm. II loco, qui huc pertinet, quid sentiam, iam professus sum. conf. p. 18 sq.

Atque haec quidem, si quid omnino video, pro additamentis habenda sunt.

---

[1]) Non sine fructu inspicies locum tractatus, qui simili colore cum hoc imbutus magis etiam sententiam nostram de eius auctore confirmat. Est autem hic: (comm. 5, 16 sq.) „et minus amaritudinis spectatoribus et eadem opera multum delectationis afferret" — *κωμῳδία* scil.

[2]) Ex permagno praefationum et tractatus concentu simul cognoscere potes, quam recte nos fecerimus, quod tractatum totum Euanthii esse defendimus.

In didascaliis enim Terentii — Hecyrae numerum in Bemb. tantum servatum habemus — hoc ordine comoedias factas [1]) esse traditur: Eun. II, Heaut. III, Phorm. IV, Hec. V, Adelph. VI. Andriae didascaliae quamquam interierunt, tamen eas hanc fabulam primo loco exhibuisse sequitur e ceterarum numeris. Praefationes cum his consentiunt in numeris Hec., Phorm., Andr. Diversa traduntur in Ad. et Eun., in quibus ipsis tales adnotationes de tituli pronuntiandi ratione leguntur: praef. Ad. 7, 18—20. „hanc dicunt ex Terentianis secundo loco actam etiam tum rudi nomine poetae, itaque sic pronuntiatam „Adelphoe Terenti" non „Ter. Ad.", quod adhuc magis de fabulae nomine poeta quam de poetae nomine fabula commendabatur." et praef. Eun. 10, 19—20: „haec edita tertium est et pronuntiata Terenti Eunuchus, quippe iam adulta commendatione poetae ac meritis ingenii notioribus populo" [2]).

Quae illi commenti II loco similia esse infitias ire perversi est.

Tot autem haec enuntiata praebent offensiones, ut ea spuria esse, ilico suspicio excitetur.

Primum in haec: pr. Ad. p. 79 sq.: „haec sane acta est ludis scaenicis funebribus L. Aemili Pauli etc.", quod ad tempus attinet, non conveniunt, quae paulo post leguntur: „hanc dicunt secundo loco actam" (conf. Wagner: Fleck.-ann. 1865, 289 sq.), ut ea omnia ad eundem fontem recedere vix sit credibile. Tantum autem abest, ut Ad. secun-

[1]) „facta est" ex grammaticorum certe sententia, quos haec addidisse verisimile est, (conf. Ritschl, Par. I, 263) idem fuisse, quod „acta est", facile mihi persuaserim, quia illi, ut Dziatzko (Mus. Rhen. XX, 598) rectissime monuit, ex actionibus tantum scaenicis, quo ordine poeta fabulas suas perfecerit, enucleare poterant. Conf. Paeckelmann: de ordine Ter. fab. potissimum prol. adhib. adn. I. Ritschl: comment. in vitam Terent. p. 501 (Reiff).

[2]) Eum, qui haec scripsit, non dubitasse, quin semper et poetae nomen et fabulae uno tempore pronuntiarentur, perspicuum est. Conf., quae supra (p. 19, adn. 1) exposuimus.

dam Terentii fabulam fuisse constet, ut omnia argumenta, quae hanc ad sententiam confirmandam a Wilmannsio (de didasc. Ter. p. 47—51) et a Dziatzkone (Mus. Rhen. XXI, 78) et a Paeckelmanno (l. l. p, 27—40) prolata sunt, felicissime me iudice refutaverint Wagner (l. l. p. 290 sq.) et Bosse (quaest. Terent. p. 12—17).

Praeterea hac quoque in re non ego solus offendo, sed alii iam ante me offenderunt, quod legitur: „hanc dicunt ex Ter." etc., cum in ceteris praefationibus tantum exstet: „haec edita quarto loco" aut tale aliquid. Accedit aliud, quod monere operae pretium est. Ceteris in praefationibus semper, quibus consulibus fabula edita sit, additum est; in praef. Ad. et Eun. nullo verbo eorum mentio fit. Postremo hoc quoque aliquid valere puto, quod, cum in ceteris praefat. illae adnotationes de ordine fabularum arte cum didascaliis ipsis copulatae sint, et in Ad. et in Eun. praefatione permulta inter didascalias et illa enuntiata intermissa sunt. Quibus omnibus animo reputatis necessario eo trahimur, ut, quae sunt in Ad. et Eun. praef. de tituli pronuntiatione atque ordine fabularum, inserta esse coniciamus a magistello quodam, qui aut illum comm. II locum tantum noverat, si Donatus eius auctor est, aut, si hoc minus, eum ipse scripserat.

Quomodo autem factum sit, ut ille Ad. secundam, Eun. tertiam Ter. comoediam fuisse opinaretur, fortasse ita explanari potest. Fabulas Terentii in Donati commentario alphabetico ordine dispositas fuisse est, cur credamus (conf. Ritschl Par. I, 301), cum in omnibus praeter Parisinum codicibus atque etiam veteribus edition., quod scimus, (conf. Dziatzko Fleck.-ann. suppl. X, 695) fabulae sic se excipiant: Andr., Eun., Ad., Hec., Phorm., in Parisino autem Andriam Adelphoe sequatur, ut, qua est auctoritate Parisinus, hanc fabularum seriem: Andr., Ad., Eun., Hec., Phorm. fuisse genuinam probabilis coniectura sit. Quamquam hoc quominus pro explorato habeamus, impedit, quod in Victor. Ter. co-

dice, qui aut, Umpfenbachium si sequimur, ex Donati commentariis emendatus est, aut, si Leonis (l. l. p. 326) sententiam probamus, fundamentum eorum fuit, fabulae ita dispositae sunt: Andr., Ad., Eun., Phorm., Heaut., Hec., ut, si quis hoc fortasse ordine in commentario fabulas tractatas fuisse contendet, nesciam quid opponam. (conf. Umpfenbach praef. XL. Bosse: l. l. p. 9). Sed quomodocunque haec res se habet, etiam illo codice arcessito id certissimum evincitur: in commentario primam fabulam Andriam fuisse, tum Ad. secutam esse, tertio loco Eun. positam fuisse.

Dissimile igitur veri haud videtur illum interpolatorem, cum non solum legisset titulum: „Adelphoe Terenti", verum etiam falsae opinioni indulgeret[1]), ordinem, quo fabulae in commentario se exciperent, cum editionis tempore consentire, in numero VI errorem librarii se deprehendisse ratum, vel etiam, quod mihi magis arridet, nullo numero invento — in didascaliis quoque huius fabulae codic. Calliop. recens. numerus deest — scripsisse: „Hanc dicunt ex Terentianis secundo loco etc." In Eunuchi autem praefatione similem adnotationem inseruit similibus de causis, quod huius in

[1]) Probare nulla ratione possum, quae Dziatzko (Mus. Rhen XX, 85) hac de re disseruit. Is enim uno spiritu sibi contradixit, cum haec contenderet: „Kaum aber wäre es ihm entgangen — scil. Donato — .... wenn ausser den Adelphen bereits ein Stück den zweiten Platz .... eingenommen hätte. Da ferner die Notiz über die tituli pronuntiatio sehr wahrscheinlich vom Verfasser der praef. selbst herrührt, so ist die Bezeichnung des Eunuchus als dritten Stückes wohl keine willkürliche Aenderung von einem Abschreiber nach Donat, sondern von diesem aus der Didaskalie entlehnt, in welcher, wie wir nun mit grösserer Sicherheit vermuthen können, der Heautont. als zweites Stück angeführt war."

An vero credibile est, Donatum, si Heaut. secundo loco editam esse legisset, nihilominus de Adelphis idem memoriae proditurum fuisse? Certe quidem, ut Dziatzkoni eius ipsius verba opponamus, in Ad. praef. adnotasset Heaut. quoque pro secunda fabula enumerari. Et quod pluris etiam faciendum est: si revera Eun. didascaliae numerus ternarius adscriptus fuisset, non intellegeretur, cur hoc enuntiatum: „edit. tert. etc." tantopere esset remotum ab ipsa didascalia, cur consules omnino non commemorarentur.

titulo nomen Ter. priorem locum obtinebat simulque in commentario fabula tertia erat. (conf. Wagner: l. l. 289 sq.).

Haec igitur praef. Ad. et Eun. enuntiata, quin ab ipso praefationum auctore addita non sint, nihil dubito.

Quod qui probaverit, etiam illa, quae in praef. Andriae de tituli pronuntiatione leguntur (3, 14—4, 1) „pronuntiataque est Andria Terenti ob incognitum adhuc nomen poetae et minoris apud populum auctoritatis ac meriti." pro interpolatis habenda esse facile concedet.

Atque haec quidem hactenus.

Jam ad eos praefationum locos festinat animus, quibus docetur, quales in singulis comoediis tibiae adhibitae sint.

Primum haec res, quod omnia, quae in praefationibus inveniuntur excepta Hecyra contraria sunt eis, quae didascaliae praebent, digna est, quae commemoretur.

Unde autem tanta haec discrepantia orta sit, difficillimum est dictu. Nam cavendum esse, ne ad diversas confugiamus scaenicas actiones, optime monet Dziatzko (Mus. Rhen. XX., 597. adn. 26). In Eunuchi autem praefatione (praef. 10, 12.), ut pro „tibiis duabus dextris" codicum Terentii legamus: „tibiis dextra et sinistra ob iocularia multa permixta gravitati", sic fortasse factum est.

Talis coniunctio: „tibiis dextra et sinistra" cum nullo alio in loco recurrat, prorsusque a didascaliarum stilo abhorreat, et cum sequantur in praef. Eun. haec: „ob iocular. multa perm. gravit.", quae haud dubie adspirant ad commenti II. locum (conf. comm. 12, 14 sq.), haud inepte suspicari mihi videor in praefatione quoque initio „tibiis duabus dextris" exstitisse, haec autem commutata atque amplificata esse ab eodem illo magistello, quem iam in antecedentibus a commento II profectum summa cum licentia in praefationes grassatum esse vidimus. Is enim cum tibias dextras sono graviore insignes fuisse persuasum haberet neque ignoraret Eunuchum fabulam alacritate atque petulantia esse plenissimam, „tibiis duabus dextris" suo ingenio fretus correxit in

„tibiis dextra et sinistra ob ioc. perm. etc.“ una saltem tibia iocis apta tribuatur comoediae necesse esse ratus. Eandem ad sententiam quamquam alia via pervenit Brunér (act. soc. scient. Fennicae IX, 50.)

Illum autem sciolum in praef. Andr. (3, 12 sq.) ad „tibiis paribus“ stultissime adscripsisse „dextris vel sinistris“, quod additamentum prorsus nihil faciens ad tibiarum genus melius cognoscendum cum comm. II doctrina tamen congruit, facile mihi persuaserim.

Sed exstat in Adelph. quoque praefatione (7, 11 sq.), sententia: „Modulata est .... ob seriam gravitatem“, quae respicere videtur ad commentum II. De qua disputantes simul cetera illo cum loco coniuncta, quae item cum commento II aliquo modo cohaerent, commode accuratius examinabimus. Totus autem locus Parisino maxime adhibito legendus videtur [1]): „Modulata est autem tibiis dextris id est Lydiis ob seriam gravitatem, qua fere in omnibus utitur hic poeta, saepe tamen mutatis per scaenam modis cantata, quod significat titulus scaenae habens subiectas personis litteras M. M. C. item deverbia ab histrionibus crebro pronuntiata sunt, quae significantur D. et. V. litteris secundum personarum nomina praescriptis in eo loco ubi incipit scaena.“

Docetur igitur in his deverbia significata esse D. et. V. litteris, quod idem ex Plauti codicibus scimus. Jam vero in interpretatione signorum M. M. C. inter omnes fere viros doctos in universum consensus est, cum ea ad mutatos canticorum modos referenda esse censeant. Certe quidem Ritschelio concedendum est hunc locum ab homine scriptum esse, qui illa signa M. M. C. „mutatis modis cantatur“ valere persuasum habuerit.

De sententiarum conexu haec monita velim. Primum,

[1]) Ante omnia commemorandum est, Ritschelium in illa celeberrima dissertatione: „Canticum und Diverbium bei Plautus“ hoc quoque de loco singulari cum cura atque sagacitate dixisse. Op. III, 37 sq. Conf. Bergk: Phil. XXX, 231. Dziatzko: Mus. Rhen. XXVI, 98.

quod ad hoc enuntiatum attinet; „Modulata est etc. litteras M. M. C.“ dilucidum est verba: „saepe tamen mutatis per scaenam modis cantata“ trahenda esse ad: „Modulata est“ et „saepe mutatis“ esse copulanda. Haec igitur si scripta haberemus: „Modulata est autem tibiis duabus dextris saepe tamen mutatis per scaenam modis cantata“, nemo in eis offenderet; illis autem: „ob seriam gravit, qua fer. in Omn. com. ut. hic poeta intermissis totum enuntiatum tam obscura constructione tam contorto singularum partium ordine laborat, ut ea ad interpolandi studium revocanda esse moveatur suspicio. Quae augetur primum eo, quod „tibiis dextris“ nulla alia in didascalia usu venit, tum, quod tibias Lydias, quas seriae gravitati fabulae exprimendae serviisse in praefatione monetur, acutissime sonuisse constat. (conf. Brunér p. 16. l. l.) Sic igitur Brunérum (conf. p. 51.) secutus de his sentio: hac quoque in praefatione initio item atque in Ter. codicibus „tibiis sarranis“ exstitit; haec autem idem magistellus, qui commento II nixus Eunuchi praefationem additamento auxit, de industria mutavit, cum eum huius fabulae „seria gravitas“ non fugeret, cui sarranarum acutos sonos (conf. comm. II, 12, 15) nullo modo respondere existumabat.

Quo autem errore perductus tibias dextras pro Lydiis habuerit, expedire nequeo.

Quae subsequuntur in praefatione: „Item deverbia ab histrionibus crebro pronuntiata sunt, quae significantur D. et V. litteris etc.“ prorsus sana non sunt, cum tale potius hoc loco dicatur necesse sit: „Modulata est etc. .... cantata, quod significat titulus scaenae habens subiectas personis litteras M. M. C. Item deverbia certis signis notantur D. et V.“ Nam verbum „item“ documento est scriptorem aliquid afferre in animo habuisse, quod non dissimile esset antecedentibus; quod omnino non fit, si ita, ut nunc legitur, scribimus: „item dev. ab histr. crebro pronunt. sunt.“ Accedit aliud: verba „item dev. ab hist. crebro pron. sunt“ mirum sensum prae se ferunt neque persuadere mihi possum, nos

ea cum Ritschelio (l. l. adn. 59) interpretari posse: Es kommen in dem Stück viele Deverbia vor, es hat eine reichliche Zahl von Deverbien.

His omnibus adducor, ut illum locum aliqua sane ex parte perturbatum putem. Quid? si initio scriptum erat: „Item deverbia, ab histrionibus pronuntiata quae sunt, significantur D. et V. litteris" etc. Certe ex his „sunt" et „quae" tantum inter se commutatis facile fieri poterant: „Item dev. ab hist. pronunt. sunt, quae signif. etc." Verbum crebro autem postea additum videtur a nescio quo sciolo, qui cum haec verba: „saepe tamen mut. mod. cantata" inepte ita intellexisset: „saepe cantata mutatis mod. — neque mutatis saepe — simile aliquid de deverbiis quoque traderetur necesse esse ratus, crebro inseruit [1]).

Jam vero restat, ut, quae in prafatione legimus, comparemus cum commenti II enuntiato, in quo admodum similia

---

[1]) Paucis hic, ne quid sciens praetermittam, tractare volo locum praef. Eun., qui aliqua certe ex parte cum Ad. praef. cohaerere videtur. Est autem hic (10, 15 sq.) „deverbia multa crebro pronuntiata et cantica saepe mutatis modis exhibita sunt" (— „proverbia" iam Lindenbrogius recte in „deverbia" correxit. Utrum autem „multa saepe" (ed. princ.) an „multa crebro (rec. cod) legendum sit, diiudicare non ausim —).

Quae si comparaverimus cum his pr. Andr. (4, 1): „deverbiis autem et cant. lepide distincta est" et Hec. (12, 22): „cantica et dev. summo in hac favore suscepta sunt" et Phorm. (14, 17): „deverbiis facetissimis et gestum desiderant. scaen. et suavissimis ornata canticis fuit", statim, quantopere ab eis abhorreant, cognoscemus. Accedit, quod haec verba: „dev. multa crebro pron." ridiculum sensum praebent, quem Ritschl quidem (adn. 59) et Bergk (l. l. adn. 9) coniecturis meliorem facere studuerunt „deverbia multa facete" aut „deverbia multo lepore" scribentes. Verum mihi ipsi haec omnia interpolata esse videntur a stultissimo homine, qui illis, quae in praef. Ad. leguntur, exemplo sumptis, sensu autem eorum minus recte perspecto, hanc revera sententiam exprimere voluit: „Hac in comoedia et multa deverbia crebro pronuntiata sunt et cantica saepe cantata sunt", quam perversam esse nemo non videt. Sed, ut ea de causa hoc enuntiatum corrigam, a me impetrare non possum. Euanthium autem haec scripsisse, quam incredibile sit, statim apparet illis, quae in praef. Andr., Hec., Phorm. eadem de re leguntur, inspectis.

traduntur, ut eam quaestionem ad liquidum perducamus, utrum praefationem a commento II pendere verisimile sit necne.

Leguntur autem illic haec: (Reiff. comm. 12, 7 sq.) „De verbia histr. pronuntiabant. Cantica vero temperabantur modis non a poeta sed a perito artis musicae factis. Neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed saepe mutatis [1]), ut significant qui tres numeros in comoediis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici [2]).

Eius, qui modos faciebat, nomen in principio fabulae, ut et scriptoris [3]) et actoris superponebatur."

Haec fontem fuisse eorum, quae in Ad. praefatione leguntur, quam incredibile sit, primo obtutu apparet. In praefatione enim non solum clarius atque copiosius eisdem de rebus disputatur, verum etiam deverbiorum significatio — quamquam depravato in enuntiato — commemoratur, cuius in commento II mentio non fit. Accedit, quod auctor illius comm. II loci haud dubie litteras M. M. C. pro numeris ineptissime habuit; ei enim cum scriberet: „ut significant, qui tres numeros in comoediis ponunt", signa M. M. C. ante oculos obversata esse optime monuit Dziatzko [4]) (Mus. Rhen. XXVI, 100).

---

[1]) „Sed saepe mutatis" scribo cum Ritschelio et Dziatzkone et Bodleiano codice neque assentior Reifferscheidio, qui Parisini scriptura: „saepe mutatis" commotus proponit: „Neque enim omnia etc. ....: saepe mutati sunt", quae coniectura nescio an speciosior sit, quam verior. De constructione huius loci quidquam addere supervacaneum est, quia omnia, quae huc spectant, accuratissime exposita sunt a Ritschelio (adn. 64).

[2]) De his quoque conferas quaeso Ritschelium (adn. 65).

[3]) „ut et scriptoris" coniecit Sehopenus illo „pro", quod ante „scriptoris" in Parisino legitur, neglecto. Dziatzko vero, cum Bodl. quoque „pro" praebeat, rectius fortasse scribit: „eius qui modos faciebat, nomen in principio fabulae post scriptoris et actoris (scil. nomina) superponebatur" (Fleck.-ann. Suppl. X, 689).

[4]) Aliqua ex parte tolerabilior sensus efficitur, si cum Ritschelio pro „numeros" „notas" ponimus. At videamus, ne auctori huius enuntiati ma-

Consensus igitur, quem praefatio et commentum II prae se ferunt ab eodem utriusque loci fonte repetendus videtur.

Restat, ut de tribus praef. And., Ad., Eun. locis, in quibus de titulis harum fabularum docentur, quae haud aliena esse videantur ab illo commenti II enuntiato (comm. 10, 2 sq.) supra paucis verbis tacto, quid iudicandum esse censeam, profitear.

Atque primum quidem memineris quaeso, ut omnino exploratum non est totum commentum II a Donato originem traxisse, ita illa sententia enuntiatorum conexum tam moleste interrumpi, ut eam ab interpolatore inculcatam esse contendere non nimiae sit audaciae. Vides nos praefationes hoc cum loco congruere concedentes nihilomagis Donatum ipsum in praefationibus agnoscere coactos esse. Accedit, quod magistellum quendam iam dreprehendimus, qui eis, quae in comm. II. traduntur, exemplis sumptis praefationes de industria amplificavit atque retractavit; maxime quidem praef. Andr., Ad., Eun., de quibus ipsis nunc quoque disputatio est. Qua in re satis habemus excusationis, si locos illos propter solum concentum, qui inter eos atque comm. II exstare videtur, in suspicionem vocabimus.

Atque primum quidem legimus in praef. Eun. (9, 19 sq.) „Haec masculini generis nomine nuncupata est Eunuchus fabula et est palliata Menandri vetus, quam ille auctor de facto adulescentis, qui se pro eunucho deduci ad meretricem passus est, nominavit. itaque ex magna parte motoria est etc.“ Hic verbis: „quam ille . . . . nominavit“ eiectis nihil desideratur. „Itaque“ tantum in „haec“ mutetur (conf. praef. Andr. 3, 4) vel omittatur, tum necesse est. Huic coniecturae, quod absolutam fidem non habeo, eo fit, quod Eunucho factum Chaereae, qui pro eunucho ad meretricem deductus sit, nomen dedisse, eum quoque, cui ille commenti II locus

---

iorem tribuamus, quam ipse habuit, eruditionem. Idem valet in Schopeni coniecturam, qui „in scaenis“ pro „in comoediis“ scribi iubet.

ne notus quidem fuerit, scribere potuisse facile crediderim. Dixerit fortasse quispiam illis verbis „Haec mascul. gen. nom. nunc. est Eunuchus fabula“ Donato initium certe praefationis vindicandum esse confirmari, cum in arte eius maiore legamus: (Keil, Gr. Lat. IV, 375, 24 sq.) „sunt praeterea alia sono masculina, intellectu feminina, ut Eunuchus comoedia, Orestes tragoedia, Centaurus navis; alia son. fem., int. masc., ut Fenestella scriptor, Aquila orator.“ At haec omnia Donatum ex veteribus scriptoribus deprompsisse (conf. Varro, de l. lat. IX, 41.) luculentissimus testis est is, qui in arte sua conscribenda eisdem fere atque Donatus fontibus usus est, Diomedes. Hic enim dicit (Keil, Gr. Lat. I, 328, 32) „sunt praeterea alia sono masculina, intellectu feminina, ut Eunuchus comoedia, Orestes tragoedia.“ Conf. Consent. a. Gr. Lat. V, 345, 2 sq. Serv. ad. Verg. Aen. 122.

Jam vero ea, quae initium faciunt praefationis Adelph. (6, 11 sq.) „haec fabula Ad. palliata, ut ipsum indicat nomen, et plurali numero, cum sit una, et genere masculino, cum sit comoedia, et Graeca lingua, cum sit Latina censetur, potuit eam Ter. Fratres dicere, sed etc. . . . . ad summam non statim intellegeretur Menandri esse, quod Ter. inprimis cupit scire lectorem, minus etc. . . . . quam Graeca transferre. est igitur Menandri et a fratrum facto, quibus argumentum nititur, nomen accepit“ magnam dant disputandi materiam. Atque haec „et genere masc., cum sit com,“ statim nos commonefaciunt praefationis Eunuchi. Cum illis autem „et plurali num., cum sit una“ non sine utilitate conferes artis Donati locum (Keil, Gr. Lat. IV, 377, 1) „sunt quaedam positione pluralia, intellectu singularia, ut Athenae Cumae etc.“ Sed hanc affinitatem pro Donato non facere ex Charisii arte (Keil, I, 154, 4 sq.) cognoscimus, ubi eadem exstant. Illa igitur omnia usque ad „togata videretur,“ cur Euanthio non adscribantur, certa causa in promptu est uulla. Ac ne haec quidem: „quod Ter. inpr. cupit scrire

lectorem" grammatico quarti p. Chr. saeculi indigna esse defendere ausim. Verum haec „et a fratrum facto .... nomen accepit.", cum haud dubie redoleant illam commenti II doctrinam — nam Adelphos a fratrum facto nomen accepisse is tantum contendet, qui hunc titulum illis quatuor generibus inserere studeat — post Euanthium demum in textum inlata esse non inepte suspicari mihi videor, praesertim cum illud enuntiatum: „est igitur M. .... nomen accepit" sine ullo sententiarum detrimento removeatur.

Postremo, num haec praef. Andr. (3, 1 sq.). „Comoedia Andria, cum palliata sit fabula, de loco nomen accepit et a Menandro etc." sic uti nunc habentur, ex Euanthii officina prodierint, admodum dubito — quamquam Andriae nomen de loco ductum esse illum ex veterum comentariis in suum transtulisse prorsus incredibile non est.

Sed haec quidem hactenus. Licet alii aliter ultima de quaestione sentiant, argumentationem nostram, qua praefationes Euanthii deberi doctrinae demonstrare studuimus, illis tribus locis nullo modo labefactari ex supra praemonitis perspicuum est.

## Pars II.

### De Euanthii commentario Terentiano.

Postquam in priore huius dissertationis parte Euanthio praeter tractatum praefationes quoque assignandas esse demonstrare conati sumus, fieri posse valde spero, ut commentario ipsi aliqua sane ex parte lucem afferamus.

Ea enim via, quam Usener (Mus. Rhen. XXIII, 495 sq.) ingressus est ad singularum adnotationum auctores enucleandos, num revera commentarii nodi expediantur, valde dubito. Is enim Donati et Euanthii propria indole propriisque studiis quasi ducibus sumptis, ex quibus illum, ut qui Romae vitam degisset, arti rhetoricae maiorem operam navasse philosophicisque studiis magis deditum fuisse coniecit, nonnullis in locis, ubi bina scholia singulos in versus leguntur, diiudicare posse sibi visus est, utrum Donatus, utrum Euanthius scripsisset.

Sed his argumentis equidem nimiam fidem habere non ausim, cum Euanthio grammatico tales certe adnotationes, in quibus artis rhetoricae maxime ratio habetur, non minore iure quam Donato adscribantur.

Teuberi autem sententia in censum non amplius venit, postquam eum de commentis minus recte iudicasse intelleximus. Is enim illa verba Rufini „Euanthius in comment. Ter.", num ad iustam singularum fabularum interpretationem spectarent, in dubium vocavit; sine causa, ut mox videbimus.

Unice veram rationem scholiorum auctoribus suis vindicandorum nuperrime Fr. Leo amplexus est, cum loco

commenti II quasi fundamento subnixus ex quadam stili similitudine nonnullas adnotationes ex Donati commentario fluxisse demonstrare studuerit. (conf. l. l. p. 330 sq.) Atque hoc quidem statim concedemus ex consensu, qui est inter schol. ad Ad. V, 3, 9 „non quid dicatur, sed, quo gestu dicatur, specta et videbis etc." et schol. ad Eun. V, 8, 42: „considera, quo vultu hoc dicendum sit et intelleges etc." cum in utroque de eadem re sermo sit, concludendum esse eundem ea scripsisse.

Alia quoque scholia, in quibus de gestu et vultu ut verba non fiunt, ita talis coniunctio „considera et invenies" redit, eidem tribuenda esse Leo non sine probabilitate suspicatur, quamquam hac ex re indubium certi auctoris indicium peti non posse apparet.

Jam vero tales adnotationes „vide quam oratorie" (Ad. III, 2, 52 etc.) „vide quam vigilanter" (Ad. IV, 4, 10) „vide quam venuste" (Andr. I, 1, 85) „vide quam familiariter" (Eun. I, 2, 15) et similia tum tantum eundem auctorem habere cum Leone (l. l. p. 333) statuemus, si artissimo sententiarum vinculo conectuntur.

Postremo Leo verbum „mire", quod saepissime in commentario recurrit, et ipsum proprium Donati esse contendit. Sed ipse sese refellit, cum Porphyrionem quoque eo saepius usum esse adnotet.

His praemonitis tales inprimis locos ipse sub aspectum subiciam, qui cur Euanthio tribuantur, certas causas in promptu habeo. Quamquam, ne hac in re nimia cum confidentia progrediar, semper commentario ipso praemoneor, quem nube interpolationum atque corruptelarum oppletum esse inter omnes constat.

Perutile autem videtur statim initio, priusquam de Euanthio solo disseramus, de nonnullis commentarii locis disputare, ubi singulis versibus binae adnotationes subiunctae sunt, ex quibus alteram semper ab alio auctore originem

traxisse atque alteram, ut per se verisimile est, ita eis, quae infra expositurus sum, magis comprobatur.

Sunt autem hi loci:

1. ad Hec. V, 3, 42.
   a. Multa ex quo fuer. commod., eius: „Ratio cur nova omnia fiant et contra officium meretricis."
   b. Multa e. q. f. c. e., inc. aequom'st. ferre: „Hoc eo tractu vocis et ea aequanimitate dicendum, quali in Adelphis" (II, 1, 52) „quando eum quaestum occep. etc."
2. ad Hec. V, 2, 8.
   a. Haec res hic agitur: „Aut sic intellegendum etc. .... aut cum asseveratione pronuntiandum est, ut sit res veritas etc."
   b. Haec r. h. ag.: „Propositio eorum, quae dictura est .... „quod aliae meretrices facere fugitant." Multa Ter. feliciter ausus est arte fretus: nam et socrus bonas et meretrices honesti cupidas praeterquam pervulgatum est, facit etc."
3. ad Ad. IV, 1, 23.
   a. Siquid rogabit, nusqu. tu me: „Magna virtute Ter. rudem, simplicem timidumque inducit Ctesiphonem ab initio, ut is sit, qui mox opprimeretur etc."
   b. Nusquam tu me: „Scilicet vidisse respondeas. Familiaris ἔλλειψις et apta properanti. Quare haec omnia pressa voce cum celeritate pronuntianda sunt."
4. ad Phorm. I, 3, 1.
   a. Ut qui mihi cons. opt. vel. esse, Phaedria [1]): „Mira sententia, qua ostendit etc. .... simulque inducitur verum imminentium praestructio, in qua sic audax inducitur Phaed., ut defensor futurus sit: sic timidus Antipho, ut fugiturus sit."

[1]) Antecedunt duo scholia, quae ad totius scaenae argumentum describendum facta ab eis, quae subsequuntur, sine dubio segreganda sunt.

b. Ut qui m. c. o. v. e. Ph. patrem ut extim.: „Ferienda pronuntiatio in eo, quod ait „qui mihi cons. opt. vel.“ hoc enim magis mirum etc.“

5. ad Phorm. I, 3, 17.
   a. Quod habes ita ut voluisti, (uxorem): „Voluisti subdistinguendum est et sic legendum, „errorem“ etc.“
   b. Ut vol., uxor.: „Bona praeparatio uxoris futurae.“
6. ad Phorm. I, 4, 35.
   a. Hem! istuc serva: „Dicendo „serva“ ostendit iam incipere deperire, quod finxit atque adsimulavit audaciae.“
   b. Hem! i. s. et verb. v. etc. .... respondeas: „Animadverte et quod doceat et commachinetur artifex poeta, qui debitum reddat rebus atque personis.“
7. ad Eun. I, 2, 15.
   a. Ne cruc te obs. an. mi. ....: „Vide quam familiariter hoc idem repetit blandimentum. Vult enim Ter. velut peculiare verbum hoc esse Thaidis etc.“
   b. Ne crucia te: „Haec nisi amplectens adolescentum mulier dixerit, videbitur: „ne crucia“ sine affectu dicere. Sed sic dicet „ne cr. te“ eo gestu etc.“

Vides omnibus his in locis alterum semper scholium praeceptum sive de pronuntiatione sive de gestu vultuque continere, quorum similium ingens numerus exstat toto in commentario (conf. exempli causa ad Andr. I, 1, 62; I, 1, 83; I, 1, 110; I, 2, 12; I, 2, 13; I, 2, 25; I, 3, 11; I, 5, 47; I, 5, 51; II, 1, 6; II, 1, 10; II, 5, 4; II, 3, 20; III. 4, 4; IV, 1, 39; IV, 1, 45; IV, 3, 7).

Quae scholia maxima quidem ex parte eundem auctorem habere est, cur credamus. — In duobus Leonem similem sermonis colorem animadvertisse iam commemoratum est. — Hunc autem Donatum fuisse Leo suspicatur propter illum commenti II locum (Reiff. comm. 8, 12 sq.) „Comoedia

autem etc. in gestu et pronuntiatione consistit", quem quin Donatus scripserit, nihil dubitat. Quod, quam incertum sit, haud ignoramus. Attamen habeo aliud etiam, quod pro Donato facere videatur, argumentum. Servium enim in commentario Vergiliano Donati inprimis copiis usum esse constat. Quare haud alienum videtur tales sententias, in quibus comment. in Ter. et Servianus conspirant, ad Donatum revocare (conf. Serv. rec. G. Thilo et H. Hagen: praef. XXI sq. et LXXV sq.)

Quamquam, ne hac in re certius atque celerius iudicemus, cavendum nobis est, quia Servius si non semper, tamen nonnunquam certe ex eisdem fontibus, quibus Ter. interpres usus erat, hausisse potest.

Eis autem ex locis commentarii Donati, quos Thilo cum Servii adnotationibus contulit, longe maxima pars ad singulorum verborum interpretationem spectat, unus autem praeterea in ordinem illorum referendus videtur, in quibus pronuntiationis enuntiatorum maxime ratio habetur. Est autem hic: schol. ad Eun. I, 2, 9: „Sane quia vero hac mihi pat. semp. fores: Tolle „sane" et vero" et pronuntiandi adiumenta vultumque dicentis et in verbis non negatio sed confessio esse credetur. Nam vero ironiae convenit, ut Virgil. (Aen. IV, 93)

„Egregiam vero laudem etc."

quod haud dubie componendum est cum Servii adnotatione Vergilii versui subscripta: Egregiam vero laudem: „ironia est, inter quam et confessionem sola interest pronuntiatio: et ironia est, cum aliud verba, aliud continet sensus."

Quod si illa Donatum scripsisse conceditur, fortasse in ceteris quoque, quae sint eiusmodi, eum quaerendum esse haud temere statuemus.

Cui coniecturae ea res magno auxilio est, quod ex illis scholiis supra (p. 49 sq.) allatis omnia, in quibus de actione scaenica verba non fiunt, eis sententiis inserturus sum, quae Euanthio accensendae videntur.

Atque primum duo huiusmodi scholia ad Hec. V, 3, 42 et Hec. V, 2, 8 eis subiungenda sunt, in quibus de bonis meretricibus, quas Ter. solus in comoedias inducere ausus sit, disputatur.

Haec enim tantopere consentiunt cum tractatus Euanthii sententia: (Reiff. comm. 6, 13—15) „Quin etiam solus ausus est, cum in fictis argumentis fidem veritatis assequeretur, etiam contra praescripta comica meretrices interdum non malas introducere: quibus tamen, cum bonae sint, voluptas per ipsum et causa non defit". — sic cum Schopeno legendum pro librorum: „cur bonae sint .... et caus. n. desit." — et cum praef. Hec. enuntiato (Reiff. praef. 12, 24—13, 2).

„In tota comoedia hoc agitur, ut res novae fiant nec tamen abhorreant a consuetudine. Inducuntur enim benivolae socrus .... meretrix bona." ut Euanthium ea conscripsisse pro explorato fere habere nobis liceat.

Agmen ducat schol. ad Eun. I, 2, 118.

Atque ex aliorum ingeniis nunc me iudicet: „His Terent ostendit, virtutis suae hoc esse, ut pervulgatas personas nove inducat et tamen a consuetudine non recedat (conf. praef.) ut puta meretricem bonam cum facit, capiat tamen et delectet animum spectatoris (conf. tract.)."

Praeterea affero schol. ad Hec. V, 1, 1.

Non hoc de nihilo est: „Rarus vitae color in hac locutione miscetur a poeta. Nam meretrix loquitur et senex, et quod est mirabilius: bona meretrix, mitis senex: ut intellegas laborasse Terentium, ut et a lege comicorum recederet, et in actu tamen — „tamen" Westerh. coniecit pro „tantum" — consuetudinem retineret."

Nec alienum ab his est:

schol. ad Hec. V, 1, 29.

Quod Pol, si esset alia ex hoc quaestu: „Vigilanter poeta, ne non verisimile videretur idullam fecisse meretricem, ipse lectorem praevenit. Et sic fere in omnibus Terentius, quae minus pervulgata sunt quaeque abhorrent a consuetudine, agit.

Cum hoc autem haud dubie componenda sunt:

schol. ad Hec. V, 2, 10.

Solam fecisse: „Bene solam, ne nescisse officium meretricis videretur."

et schol. ad Hec. V, 3, 42.

Multa ex quo fuerint commod., eius: „Ratio, cur nova omnia fiant et contra officium meretricis" (vide supra p. 49) Postremo similem cum his colorem prae se fert:

schol. ad Hec. V, 2, 8.

Haec res hic agitur: „Multa Ter. feliciter ausus est (tract.) arte fretus. Nam et socrus bonas et meretr. hon. cup. praeterquam pervulgatum est, facit" (hoc quoque iam adhibitum est p. 49). Quocum conferre invat schol. ad Hec. II, 1, 1; III, 2, 2.

His igitur exemplis collectis iam illo Rufini testimonio: „Euanthius in commentario Ter." continuam singularum comoediarum interpretationem laudari constat atque via nobis ad alias Euanthio vindicandas adnotationes munita est.

---

Jam de Terentii arte in exstruendis fabularum argumentis, in quibus alia res ex alia nexa omnesque apte inter se ligatae videantur, in tractatu exstat locus (comm. 6, 22—7, 1). „adde quod argumenti ac stili ita attente memor est, ut etc. .... quodque media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri sed aptum ex se totum et uno corpore videatur esse compositum." quocum commodissime componitur:

schol. ad Ad. III, 3, 54.

Haec te admittere indigna: „Pronum est, haec statim credere Demeam de eo, quem superius laudaverit: „non fratrem videt“ etc. (Ad. I, 2, 14). Unde mira poetae arte et initia et media et postrema sibi congruunt atque respondent.“ Haec quin Euanthius scripserit, vix ac ne vix quidem in dubium vocari potest. Verum alia quoque scholia Euanthio assignata velim, quae ad illam tractatus sententiam quasi exemplis comprobandam facta esse quamquam pro certo affirmare non ausim, tamen satis probabile est.

Primum duo scholia afferam, quorum utrique adnotationem de eiusdem versus pronuntiatione adglutinatam esse iam vidimus (conf. p. 49).

Alterum est schol. ad Ad. IV, 1, 23:

Si quid rogabit, nusquam tu me: „Magna virtute Terentius rudem etc. inducit Ctesiph. ab initio, ut is sit, qui mox opprimeretur etc.“

Alterum schol. ad Phorm. I, 3, 1,

Ut qui m. cons. . . . . Phaedria: „Mira sententia etc. . . . . simulque inducitur rerum imminentium praestructio, in qua sic audax inducitur Phaedria, ut defensor futurus sit etc.“

In hunc praeterea ordinem referenda videntur, quae sunt huiusmodi:

schol. ad Andr. III, 5, 1.

Ubi illic est scelus: „Haec scena, cuius perturbationis esse debeat, etiam — nonne melius scribitur „iam?“ — supra poëta praestruxit, cum . . . . faceret.“

schol. ad Eun. II, 3, 82.

Neque scit qui sies: „Hoc est quod supra callide poeta praestruxit.“

schol. ad Hec. I, 2, 99.

Relinquit cum matre hic uxorem: „Praeparatio ad futurum errorem.“

schol. ad Hec. II, 2, 19.

Neque adeo clam me est, quam esse: „Ingeniosissime poeta iam praeparat causam etc.“ conf. schol. ad Andr. I, 1, 44; I, 3, 21. Eun. II, 3, 7; IV, 4, 51. Ad. II, 3, 10. Hec. IV, 1, 59. Phorm. I, 3, 17 (cf. p. 50), II, 1, 8; II, 1, 39; II, 1, 74; II, 1, 82.

Postremo huc pertinere videntur, quae sunt similia his; schol. ad Ad. III, 3, 2.

Una adfuisse in raptione cum Aeschino: „*Οἰκονομία*, in qua ostenditur, quantum commovebitur Demea ipsa re comperta, cum parva etc“ [1]).

Conf. schol. ad Eun. III, 1, 50 „hic magna *οἰκονομία* est, qua Terentius praeparat etc.“ ad Andr. II, 3, 25; Eun. II, 1, 24; III, 1, 44; III, 1, 56; III, 2, 48; IV, 4, 52. Ad. III, 3, 87. Phorm. III, 3, 1.

---

Ad postremum non temerarii esse videtur, hac cum tract. sententia (comm. 7, 1—3): „illud quoque mirabile in eo, primo, quod non ita miscet quatuor personas, ut obscura sit earum distinctio“ his comparatis: schol. ad Andr. II, 5, 1 Herus me relictis: „Ad hoc venit Byrrhia etc. et in hac scena quatuor personae sine implicatione intellectus loquuntur.“ eundem utraque scripsisse contendere.

Praeterea hoc quoque scholion (ad Eun. III, 2, 1) Audire vocem visa sum modo militis: „Hic inducitur multiplex concursus dissimilium personarum et tamen virtute et consilio poetae discretarum, ut confusio nulla sit facta sermonis: simul etiam pro se cuique accommodata mire repraesentatur oratio“

[1]) Cum eis, quae finem faciunt huius adnotationis: „Raptio autem ad personam refertur, „Rapina“ ad rem „Raptus“ ad stuprum, si volumus proprie loqui“ aptissime comparantur, quae in praef. Ad. 8, 13 legimus: „et mater puellae iam decimo mense post raptum virginis.“

Euanthium auctorem habere satis est probabile, praesertim cum ultima verba nos commonefaciant huius tractatus enuntiati (comm. 6, 11—13) „tum personarum leges circa habitum aetatem officium partes agendi nemo diligentius Terentio custodivit."

Euanthium autem eam Terentii virtutem, quam hic praedicat in fabulis ipsis quoque persecutum esse, est cur suspicemur. Et inveniuntur in commentario nonnulla, quae huius coniecturae fidem praestare videantur. Vide mihi exempli causa:

schol. ad Hec. IV, 4, 98.

Huc evoca verbis meis: „Bene servata sunt personis congruentia. Nam socerum hanc rem monere tantum decuit etc."

schol. ad Phorm. I, 4, 21.

Hem: „propria et sua cuique personae exhibuit etc."

schol. ad Phorm. I, 4, 35.

Hem istuc serva etc. . . . . respondeas: „Animadverte et quid doceat et commachinetur artifex poëta, qui debitum reddat rebus atque personis." — Eidem versui adnotationem de gestu subiunctam esse iam commemoravimus. (conf. p. 50).

Tum illa scholia, in quibus de officio meretricis sermo est, in mentem revoces quaeso: schol. ad Hec. V, 2, 10; V, 3, 43.

Ac ne talia quidem sicco pede mihi transeunda videntur:

schol. ad Ad. IV, 2, 2.

A villa mercenarium vidi: „Sapientissime Ter., etsi proxima villa est, necessario — necessarium cum Bentleio (conf. Fleck. ann. suppl. X, 669) scribendum esse luce clarius est — senem ad reliquos actus fabulae noluit ab urbe discedere personae senilis memor etc. At ubi persona est adolescentis et proficiscitur ad villam et continuo redit."

schol. ad Phorm. I, 2, 62.

Postridie ad anum recta pergit: „Hoc praestruens

(conf. p. 54) aniculae supra mentionem fecerat. Et bene memor et virginis et honestae non ipsam adiri facit, sed anum etc."

Conferas praeterea schol. ad Andr. I, 5, 30; II, 1, 25; II, 5, 16; Eun. I, 2, 15 (vide p. 50); II, 3, 9.

---

Jam igitur tria scholiorum genera indagavimus, quae ad Euanthium recedere veri haud dissimile sit, praesertim cum iuxta nonnullas harum adnotationum eidem versui subscripta legamus praecepta quaedam sive de actione scaenica sive de pronuntiatione. Quod si verum est, haec Donatum auctorem habere, ab illis nomen eius removendum videtur. Et rursus, cum aliis de causis admodum credibile nobis visum sit Euanthium illa scripsisse, ea, quae sunt de pronuntiatione, gestu, vultu, a Donato originem traxisse, magis comprobatur.

Eis autem ex locis, quos adhuc congessimus, haud immerito concludere mihi videor, Euanthium artis comicae Terentii, quam in tractatu tantopere laudavit, in commentario quoque inprimis rationem habuisse.

Quare allatis scholiis similia ei adscribere non dubito.

Atque primum quidem de duobus dicamus, in quibus de duplicibus amoribus, quibus Terentius fabulas suas variaverit, disseritur, quae non solum componenda videntur cum illo tract. Euanthii loco: (comm. 7, 4 sq.) „Illud etiam inter cetera eius laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum; nam excepta Hecyra .... ceterae quinque binos adolescentes habent" et cum praef. Phorm. enuntiato (Reiff. 14, 20) „argumentum quoque non simplicis negotii habet nec unius adulescentis, ut in Hecyra etc.", verum etiam cum illis scholiis, quae supra eno-

tavimus, similem colorem prae se ferunt. Alterum est ad Andr. V, 6, 13.

Atque adeo longum est, nos illum exspectare: „Quia et audacter et artificiose binos amores duorum adolescentium et binas nuptias in una fabula machinatus est: et id extra praescriptum Menandri (conf. tract. contra praescript. com.), cuius comoed. transferebat, idcirco aliud in proscaen. aliud post scaen. retulit, ne vel iusto longior fieret, vel in eandem propter rerum similitudinem cogerentur“ [1]).

Alterum est ad Andr. II, 1, 1.

Quid ais, Byrrhia: „In hoc colloquio altera pars ostenditur fabulae. Siquidem Andria ex duorum adolescentium periculis gaudiisque componitur, cum fere solam Hecyram Terentius ex unius comoedia adolescentis effecerit.“

---

Jam ad ea scholia festinat animus, quibus Terentii ars laudibus effertur, qua vehementes animi motus omniaque quae cothurno tragico magis accommodata sint evitaverit. Haec enim scholia respicere videntur ad hos tractatus Euanthii locos (comm. 6, 15 sq.): „haec cum artificiosissima Terentius fecerit, tum illud est admirandum, quod et morem retinuit, ut comoediam scriberet et temperavit affectum, ne in tragoediam transiliret; quod cum aliis rebus minime obtentum et a Plauto et ab

---

[1]) Ultima verba mendosa sunt. Atque Bentley pro „cogerentur“ „cogeretur“ proponens, quid ad „eandem“ suppletum velit in dubio relinquit. Ritschl autem (Par. Plaut. 599) Schopeni „*καταστροφὴν*“ recepto scribit: „vel in eandem [*καταστροφὴν* bini amores] propter rerum similitudinem cogerentur“ sensum optatum rectissime verum, ut opinor, paulo audacius efficiens. Simplicius locum ita restituere mihi videor: „vel bis eadem propter rerum similit. agerentur.“ Quae, quam facile in traditam lectionem abire potuerint, explanare supervacaneum est.

Afranio et a Pomponio [1]) et multis fere magnis comicis invenimus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod eius fabulae eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem neque abiciantur ad mimicam vilitatem."

Quae quasi illustrantur talibus adnotationibus:

schol. ad Andr. I, 1, 78.

O factum bene: „Animadverte ubique a poëta sic induci comicas mortes, ut cum ad necessitatem argumenti referantur, non sint tamen tragicae. Nam aut meretrix sumitur aut senex aut de duabus una uxor. Itaque huiusmodi obitus aut mediocri tristitia excipitur aut etiam gaudio."

Ad eandem rem spectat sine dubio:

schol. ad Andr. I, 1, 79.

Beasti: „Artificiose quidem gaudium subiecit, ne mors in comoedia luctu ut [2]) in tragoedia personaret."

Praeterea commode huc trahuntur:

schol. ad Hec. I, 2, 96.

Moritur cognatus senex: „Bene quod ait senex: nam acerbum funus non conveniebat fabulae etc." (quae subsequuntur, simillima sunt eis, quae in schol. ad Andr. I, 1, 78 legimus).

schol. ad Phorm. V, 1, 23.

Ex aegritudine miseram mors consecuta est: „Bene moderatus est, ut neque nimis aegre ferat neque rursum ἀπαθὴς sit .... Neque in comoedia possunt

---

[1]) Pro „a Turpilio", quod Reiff. recepit, et pro aliis poetarum nomibus, quae alii coniecerunt, cum Dziatzkone (Fleck.-ann. suppl. X, 685, a. 2) lego: „a Pomponio" quod Par. et Ox. scripturis: appio et apio. optime fulcitur. Ad illa: „quod et morem" redeundum nobis est.

[2]) „luctu ut" scripsi pro „luctus", quod in omnibus editionibus legi valde miror.

nimis miserabiles mortes esse, ne res in tragoediam transiret." (conf. tract. ne in trag. transiliret.) schol. ad Phorm. I, 2, 45.

Modo quandam vidi virginem: „Vide sic agi, ut non tam morte mulieris quam solitudine pulcrae virginis moveatur affectus; simul et ea describi, quae matronae futurae magis conveniant [1]), quam quae temere amanda sit. Nam hic obitus feminae etc" conf. schol. ad Andr. I, 1, 78. Fortasse haec quoque apte adduntur scholia ad Eun. III, 1, 56; Ad. II, 1, 43; IV, 2, 1; Hec. IV, 1, 48; Phorm. prol. 5, 6; I, 2, 87.

Sed iam tempus est his collectis, quae quin maxima certe ex parte Euanthiana sint, vix dubitabis, ad illud tractatus enuntiatum: „quod et morem retinuit etc." reverti, quod nonnullis eorum, quae apposui, scholiis subnixus emendare conaturus sum.

Atque primum quidem profiteor traditam lectionem: „quod et morem retinuit" — morem praebet Par. „in morem" Oxon., quod ex „morem" littera *m* tantum duplicata ortum esse suspicor — me corruptam putare. Nam ne morem et affectum pro ἦθος et πάθος cum Dziatzkone (l. l. 685, adn. 1) accipiam, praemoneor et singulari casu „morem" et hac re, quod ea, quam ille vult, significatione probata hoc in enuntiato idem fere dictum est atque in eis, quae paulo infra leguntur.

At quanto melior sensus erit loci, si in eo de singulari Terentii virtute disputatur, qua ille item ac meretricibus bonis in comoedias inductis luculentum artis suae exemplum dederit.

Eisdem certe in animo reputatis Reifferscheid pro „morem" „amorem" substituendum censuit. Attamen attendas

[1]) Pro „simul ea describi, quae conveniant" potius scribendum videtur: „sim. eam descr., quae matronae futur. magis conveniat", praesertim cum subsequantur: „quam quae temere am. sit" neque „quam ei, quae etc."

hac coniectura Terentio tribui laudem, qua nulla possit minus convenire in eum. An non recordaris, quam gravis ac vehemens sit amor Pamphili in Andria, Phaed. in Eun., Pamph. in Hec.? Nonne hoc potius praedicandum fuit, quod poeta mimicam lasciviam a fabulis suis removit? Praeterea illi coniecturae repugnat schol. ad Hec. III, 1, 1: Nemini ego plura acerba: „Nimis cothurnati et tragici in hac scena dolores essent non comici nisi adderet: „ex amore"", quod huc trahendum esse cur negemus, non video. Haec igitur omnia cum considero, Reifferscheidio quoque assentiri vereor.

Mihi autem ipsi scholiis ad Andr. I, 1, 78; I, 1, 79; Hec. I, 2, 96; Phorm. I, 2, 45; V, 1, 23, accurate perpensis pro „morem" „mortem" substituendum esse admodum probabile visum est: „tum illud est admirandum quod et mortem retinuit, ut comoediam scriberet et temperavit affectum, ne in tragoediam transiliret." Haud ignoro; „quod et mort. retinuit, ut comoediam scrib." mire dicta esse. Sed hos quaeso locos respicias: schol. ad Andr. I, 1, 78: „Sic iuduci com. mortes, ut cum ad necessitatem argumenti referantur etc." et schol. ad Phorm. V, 1, 23 „neque in comoedia possunt nimis miserabiles mortes esse" et in illis non offendes.

Illa autem „quod cum aliis rebus min. obt. et a Plauto etc. invenimus", num ab initio hic collocata fuerint, dubito. Nam nemo non videt toti illi sententiae longe meliorem esse locum post haec: „neque abiciantur ad mimicam vilitatem", cum in „mimica vilitate" evitanda longe magis, quam in affectibus tragicis a comoediis prohibendis, Terentius a ceteris poetis comicis differat. Sane et Plautum et Afranium et Pomponium fabulas suas mimicis foeditatibus opplevisse constat.

---

Proximum est, ut nonnullas adnotationes sub aspectum subiciam, in quibus tales loci, ubi argumenta fabu-

larum progressus faciant, notantur, quae adnotationes non solum, quod ad sententiam attinet, mire consentiunt cum loco tractatus et praef. Andr. enuntiato, verum etiam singulis verbis eorum nos commonefaciunt.

De loco tractatus, qui hic afferendus est, supra disputavimus: est autem ille: (comm. 8, 1—3) „protasis prim. act. initiumque est dram., epitasis incrementum processusque turbarum ac totius ut ita dixerim nodus erroris, (vide p. 30 adn. 1) catastrophe conversio rerum est ad iucundos exitus patefacta cunctis cognitione gestorum."

Praeterea praef. Andr. locus, quem et ipsum iam tractavimus, in memoriam revocandus est (praef. 4, 17 sq.): „periculoque Charini et Pamphili motus error in fabula; is usque ad eum finem ductus est, dum Athenas veniens Andrius quidam Crito rem aperiat et nodum fabulae solvat." Cum his igitur componendae mihi videntur tales adnotationes:

schol. ad Andr. III, 4, 1

At te ibam: „locus est, in quo iam ad discrimen mali perducta (conf. praef.) comoedia, in meliorem partem iam incipit inclinare," quod nos statim horum tract. verborum: „cat. conversio rer. ad iuc. exit," commonefacit, praesertim cum in comm. II de eadem re prorsus diversa ratione dicatur (conf. comm. 10, 16—18).

Praeterea afferendum est schol. ad Andr. II, 4, 1. Reviso: „Haec scena nodum inicit erroris fabulae et periculum comicum (conf. praef.: peric. Char. et P. motus error in fab.) Facit etiam executionem consiliorum."

Tum huc trahenda videntur:

schol. ad Andr. V. 4, 1.

Mitte orare: „Hic in scenam progreditur Crito, in cuius verbis etc. demonstratur. Et hic omnis aperietur error fabulae (conf. praef.)

et schol. ad Andr. IV, 5, 1.

In hac habitasse platea: „In hoc loco persona ad catastrophen machinata nunc loquitur. Nam hic Crito nihil argumento debet nisi absolutionem erroris eius (conf. praef.) simul ex verbis eius etc.“ Conf. schol. ad Hec. I, 2, 100; IV, 1, 59; IV, 4, 1; IV, 4, 93; V, 3, 30 ad Phorm. I, 3, 4 (hanc adnotationem Euanthium auctorem habere affinitate comprobatur, quae est inter hanc et schol. ad vers. 1 eiusdem scenae, de quo (p. 54) diximus) ad Phorm. I, 4, 1.

Fortasse autem haud inepte his adnectitur

schol. ad Andr. II, 2, 1.

Di boni: „Haec scena consilium continet personarum, ad quas maxime pertinet argumentum. Et hic est locus, in quo (conf. schol. ad Andr. III, 4, 1) ut fieri solet, fortuna mixta rebus dispositis (conf. ad Andr. II, 4, 1): „magnas turbas dat“ (conf. tract.) Quodsi singulae fortasse earum, quas attulimus, adnotationes ansam dubitationis praebere poterant, tamen nunc compluribus collectis exemplis Euanthium earum in universum auctorem esse egregie comprobatum videtur.

---

Operae pretium est nonnullorum scholiorum mentionem facere, in quibus de bonis vel malis singularum personarum moribus disputatur; quamquam certissima argumenta, quibus ea ad Euanthii revocentur auctoritatem, non habeo. Attamen vide, quid ipse sentias. Legimus enim in praef. Ad. (7, 20 sq.) „In hac spectatur, quid intersit inter rusticam vitam et urbanam, mitem et asperam, caelibis et mariti, veri patris et per adoptionem facti, quibus propositis ad exemplum vitanda[1]) perinde fugiendaque Terentius monstrans artificis poetae per totam fabulam optinet laudem.“

---

[1]) Nisi fallor, pro „vitanda“ „imitanda“ scribendum est neque enim poeta vitam mitem et urbanam fugiendam esse demonstravit.

Cum his conferas, quaeso

schol. ad Ad. I, 2, 1.

Ehem! opportune, te ipsum quaerito: „In hoc actu diversi homines, diversi (conf. praef.) patres et diversa studia proponuntur: hic lenis, hic amarus (praef. int. vit. mitem et asperam) hic facetus, hic impolitus (urbanam et rusticam) hic facilis, hic pertinax et difficilis in delictis“ [1]).

Cum his autem praet. Ad. (8, 11): „Servatur autem per totam fabulam mitis Micio, saevus Demea“ componendum videtur schol. ad Ad. V, 3, 1: Parata a nobis sunt .... ubi vis: „In hac scena collatio est personarum mitis parentis ac saevi.“

Postremo similia his praef. Eun. (10, 18): „Exempla autem hic morum trina praecipua proponuntur: urbani, moris, parasitici et militaris“ (conf. praef. Ad. quibus propositis ad exempl.) vel obiter perlegens commentarium facile invenies. Conf. ad Ad. II, 2, 1; IV, 2, 1; IV. 6, 1; IV, 7, 1; V, 1, 1; V, 4, 1; Phorm. II, 1, 1; II, 2, 1.

Quos locos non tantopere inter se similes, quam lac lactis est, aliquo tamen affinitatis vinculo copulari in aperto est.

---

Restat, ut nonnullos locos curiosius tractemus, in quibus de personis protaticis sermo est. Est enim opinio mea, in his quoque inesse, qui ad Euanthium referendi sint.

Primum hoc scholio ad Hec. I, 1, 1.

Per pol, quam paucos .... fideles: „Novo genere hic utraque προτατ. προσωπα inducuntur. Nam et Philot. et Syra non pertinent ad argumentum

---

[1]) „in delictis“, quae vulgo omittuntur, sed in Ms. Boend et in Klotzii editionibus exstant, recipienda censeo, quia necessario quaerimus, qua in re hic facilis, hic difficilis fuerit. (conf. schol. ad Ad. III, 5, 91: „Ex hac delectatione ostenditur Demea et, quam peccantibus sit amarus etc.“).

(conf. praef. Ad. 7, 16: personam quae ad argumentum nihil attineat). Hoc autem maluit Terentius quam aut per prologum narraret argumentum aut θεὸν ἀπὸ μηχανῆς iuduceret loqui.“ cum his tract. Euanth. sententiis (comm. 6, 5 sq.) „deinde θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς id est deos argumentis narrandis machinatos .... Terentius non habet.“ „Ad hoc προτ. πρόσ. id est personas extra argumentum accersitas non facile ceteri habent, quibus Ter. saepe utitur, ut per harum inductiones facile pateat argumentum“ comparato concedes, Euanthio illud non sine probabilitate adscribi [1]).

Cum hoc autem concordat

schol. ad Andr. I, 1, 1.

Vos istaec: „Haec scena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulae iaciuntur: ut virtute poetae sine officio prologi vel θεῶν ἀτὸ μηχανῆς et periocham comoediae populus teneat et res agi magis quam narrari videatur [2]).

Similia autem his dicta sunt in

schol. ad Phorm. I, 1, 1.

Amicus summus meus et popularis: „Quod in omnibus fere comoediis etc. .... id in hac quoque Terentius servat, ut προτ. πρόσ. id est: personam extra argumentum (conf. tract. et praef. Hec. 12, 23) inducat, cui dum

---

[1]) Alteram adnotationem ad hunc versum: „Hae person. Terentii more extrinsecus assumuntur, ut sic argum. obscuritatem spectator effugiat“ vano imitandi studio nescio cuius scioli imputandam esse primum hanc intnenti clarum est. Vide enim, quam perversa sit haec opinio, quod Terentium duabus personis prot. uti solere dicitur — legimus supra „novo genere“ — et quam mire sint haec: ut sic arg. obsc. etc.

[2]) Eandem fere sententiam sed contractam — quod in commentario saepissime usu venire testor Teuberum p. 9 — invenimus in scholio illi praemisso: „In hac scena haec virtus est, ut argumenti narratio actio scenica videatur etc.“

ob hoc ipsum, quod veluti aliena a [1]) tota fabula est, gesta res narratur, discat populus (conf. praef. Phorm. 15, 22: primus actus est in coll. Dav. et Get., per quos discit populus argument. praef. Hec. 13, 9: argument. discat spectator) textum et [2]) continentiam rerum (conf. ad Andr. I, 1, 1 perioch. com. pop. teneat) sitque instructus ad cetera."

Alteram autem adnotationem eundem ad versum: „In hac scena, quae docendi atque instruendi spectatoris (conf. ultima alterius scholii verba) causa inducitur mire extrinsecus etc.", utrum ad imitandi studium revocem, an alio ex fonte derivatam dicam, adhuc dubius haereo.

Jam cum Euanthius et in tractatu et in praefationibus omnibus personarum prot. rationem habuerit, eum in commentario suo illas verbo saltem strinxisse non nimis audax erit coniectura. Quid igitur impedit, quin locos adhibitos simili cum tract. et praef. colore insignes Euanthio maxima certe ex parte vindicemus? Quod si recte fecerimus, omnes fere sententiae, quas illa in tractatus parte, in qua Terentii comica ars laudibus effertur, legimus, in commentario ipso tum saepius recurrunt et quasi singulis exemplis comprobantur.

Nam scholia invenimus, quae haud dubie spectant ad hos tractatus Euanthii locos: (Reiff. comm. 6, 12 sq.)

„tum person. leges circa .... aetat. offic. partes agendi etc."

„quin etiam solus ausus est etc. .... meretrices interdum non malas etc."

„temperavit affectum, ne in tragoediam transiliret etc."

---

[1]) Westerhovii coniectura: „alien. *a* tot. fab." pro „al. tot. fab." commendatur Bembini codicis scholio ad hunc versum (conf. Herm. II, 379).

[2]) „Textum et continentiam scribere velim cum Westerhovio pro traditis", „textum ex continent." quia et melior sensus illius invento admisso efficitur, et in Bemb. exstant: „discat populus continentiam rerum."

„media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum etc.“

„non ita miscet quatuor personas, ut obscura sit etc.“

„locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit etc.“

Sed hic iam pedem sistamus. Ea enim, quae enotavi scholia sufficere mihi videntur ad Euanthiani commentarii indolem atque naturam cognoscendam.

---

## *Appendix critica.*

Eis, quae supra disputavi, visum est coniecturas quasdam in locos corruptos commentarii quasi per satiram electos subicere. Si autem illis in sanandis nonnunquam paulo fortioribus remediis utar, quam aliis in scriptoribus uti solemus, veniam mihi datum iri spero propter miserandam commentarii conditionem, quem decursu temporum permultis adnotationibus aut in brevius contractis aut additamentis auctis similibusque calamitatibus mirum in modum corruptum esse constat.

Jam igitur his praemonitis, singulos ad locos transeamus

Schol. ad Andr. II, 1, 34.

Facite, fingite, invenite, efficite: „Fit, quod verum est, fingitur, quod falsum est; invenitur ne temere fiat. Invenite: ergo agite dicit post cogitationem. Efficite: id est in effectum reddite. Sallustius: Catil. cap. I. „Nam et priusquam incipias consulto et ubi consulueris, mature opus facto est.““

„Post cogitationem“ cum „efficite“ coniungenda esse ex Sallustii loco cognoscitur. Praeterea autem in verbis „ergo agite dicit“ interpretatio verbi „Iuvenite“, insit necesse est. Locum igitur integritati fortasse reddemus, si scribimus: Invenite, efficite: ergo cogitate dicit, post cogitationem „efficite“ id est in effectum reddite.“

Schol. ad Andr. III, 5, 15.

Crucem: „Plena satisfactio est confessio peccati sine recusatione poenarum, nam mitiores eos reddimus, quibus vultu operae pretium pro delictis nostris offerimus.“

Dubitari nihil potest, quin haec: „quib. vultu operae pretium“ corrupta sint. Atque Lindenbrogius scribendum esse opinabatur: „quibus ultro operae pretium“ plaudentibus Zeunio et Klotzio. Sed ut „ultro“ optime mea quidem sententia pro „vultúo(perae)“ coniecit, ita, quid sibi „operae pretium“ hoc loco velint, non intellego. Abr. Wielingius autem .... „quibus ultro poenam meritam pro delictis etc.“ commentus ea maxime erravit in re, quod „pretium“, quod idem est atque „poena“, intactum non reliquit. Ego, initio haec exstitisse „quibus ultro pretium pro del.“, litteras „perae“ autem ex dittographia ortas esse puto. (quibus ultr opre pretium).

Schol. ad Ad. III, 4, 17.

Neque boni: „Quasi id quod est, velit, quod esse debet.“

Haec genuina esse, quis est, qui arbitretur? Atque Westerhovius quidem proponit: „Quia is prodest, vel prosse debet“ quae comparanda sunt cum schol. ad v. 18: „Quaerendum inter bonum et liberalem quid intersit. An bonus est, qui non nocet, liberalis, qui etiam prodest?“ Quare non ad: „Neque boni“ sed ad: „neque liberalis“ illa adnotatio quadraret. Immo potius tale aliquid scholiastam dicere voluisse persuasum habeo: Hegionem cum locutus esset: „boni viri“ quasi apud se adiecisse: „quod non est, sed quod esse debet, quippe qui sit filius tuus“ Commode huc trahitur schol. ad v. 30: „Bonus vir εἰρωνεία quidem est, sed ab eo posita, qui indignetur virum bonum esse debuisse, qui non sit, ut supra: „neque boni, neque liberalis etc.“ Quamobrem ita locum restituam:

Neque boni: „Quasi id quod eum (scil. esse) velim et quod esse debet.“

Schol. ad Ad. IV, 7, 36.

Jam vero, omitte Demea: „Mire urbanitatem expressit ultro obiurgantis, qui obiurgatus est.“

Quid? Micio ultro obiurgat? Quid? Demeae iram nonne potius mitibus verbis delenire temptat? Jam igitur cogno-

veris in „ultro obiurg.“ mendum latere. Et, ni egregie fallor, scripsit interpres: „non contra.“

Schol. ad Ad. V, 1, 1.

Aedepol Syrisce te curasti molliter: „Quia detexit Ctesiphonem, iam oportet, ut ebrius inducatur Syrus, per cuius fallacias tegatur adeo. Et Syriscum se dicit non Syrum *τῷ ὑποχορίσματι.*“

Atqui verum non est Syrum Ctesiphonem detexisse, immo eum astutia sua defendit et omnino Ctesipho in secunda demum scaena prodetur. Quare haec: „quia detexit Ctes.“ vitio laborare apparet. Praeterea verba: „per cui. fall. tegatur adeo“ sensum prae se ferunt, hic non aptum. Syrus enim e contrario, ut est ebrius, non amplius fallacias excogitare potest, quibus Demeam fallat. Quare pro „tegatur“ „tegebatur“ recipiendum videtur. Corruptelam autem, quae inest in eis, quae antecedunt, eo ortam esse conicio, quod haec verba: „iam oportet“ falso cum subsequentibus coniuncta sunt, cum revera ad antecedentia pertinerent.

Genuinam igitur scripturam hanc fuisse censeo: „Quia detegi Ctesiphonem iam oportet, ebrius inducitur Syrus, per cuius fallacias tegebatur adeo,“ Conf. schol. ad Ad. V, 2, 5.

Quid agis, quo abis: „Hoc iam ebrio convenit, non illi, quem cognovimus Syrum, nam, quod retinet, confessionis genus est.“

Sschol. ad Eun. II, 3, 41.

Nunc cum minime vellem: „Quia semper nolui, ideo nunc minime utpote adolescens senem.“

Qua in adnotatione ordinem singulorum enuntiatorum conversum esse, quod nemo adhuc editorum vidit, valde miror. His enim: „utpote adol. sen.“ causa affertur non cur Chaerea illo maxime tempore senem convenire noluerit, sed potius cur semper eum fugerit. Quamobrem totus locus ita disponendus videtur: „Quia semper nolui, utpote adolescens senem, ideo nunc minime.“ (scil. gravissima re occupatus).

Sequuntur in commentario: Minimeque opus fuit: „saepe enim nolumus tantum, nunc etiam opus non est.“ Haereo in his: „nunc etiam opus non est.“ Tamquam si de praesenti tempore Chaerea locutus esset! Sane, ut illa aliquo modo ferri possent, pro est „erat“ scribendum esset. Attamen non absonum erit, ex verbis: „saepe enim nolumus“ colligere, scholiastam generalem, ut ita dicam, sententiam proferre voluisse, quae facile efficitur nunc (nc̃) tantum in neque (neq;) commutato: „Saepe enim nolumus tantum, neque etiam opus non est.“

Schol. ad Eun. IV, 4, 1.

Exi foras sceleste: „Jucundus error, in quo non dubitet Phaedria ipsum — scil. Dorum — esse qui quaeritur, verum insuper sic aggreditur tamquam sit ipse.“

Sceleste: „quale est scelestum appellari, qui nihil sciat.“

Restitas: „Necessario restitat, qui miratur se protrahi.“

Hic primum, quid intersit inter haec: „in quo nō̄n dub. Phaed. ipsum esse qui quaer.“ et illa: „verum insup. sic aggr. tamquam sit ipse“ non video. Immo huius loci sententiam talem fuisse: „ideo errorem iucundum esse, quia Ph. Dorum non solum esse, qui quaereretur, verum etiam se quaeri non ignorare pro certo haberet“ concludo cum ex ipsius poetae verbis tum ex eis, quae in commentario subsequuntur: „Qual. est scel. appell., qui nihil sciat.“et „Necess. restit. qui miratur se protr.“

Quae sententia efficitur „tamquam sit ipse“ in „tamquam sciat ipse“ (scil. „ipsum esse, qui quaeritur“) commutatis. Verum hoc quoque invento admisso remanet scrupulus maximus. Adiectivo enim „sceleste“, quae arte cohaerent, dissecantur. Nam hoc vocabulo incolumi relicto non intellegitur, quo illud „Quale est“ trahendum sit. Totus igitur locus ita restituendus videtur:

„Juc. err., in quo n. dub. Ph. ips. esse qui quaeritur, verum ins. sic aggred., tamquam sciat ipse; quale

est scelestum appellari, qui nihil sciat.“ Restitas: Necessario etc.“

Schol. ad Eun. IV, 5, 1.

Attat data hercle verba mihi sunt: „Hic semigravis inducitur vino Chremes priorum memor titubans in praesentibus ut fere adpoti solent.“

Hic primum: „priorum memor“ suspicionem movent, cum tantum absit, ut Chremes priorum recordetur, ut, cum antea timore perculsus, ne sibi a Thaide insidiae struerentur, obstinata mente blanditiis aures non praebere sibi proposuerit neque ulla ratione ut alio tempore rediret a Pythia commoveri potuerit, nunc vino superatus lenissimusque factus non solum omnibus, quae Thais cupit, oboediens sit apud eamque remaneat, sed etiam ipse blanditiis Pythiam adeat. Quibus de causis pro „priorum memor“ „priorum immemor“ legendum esse summa est probabilitas.

Praeterea autem „titubans in praesentibus“ minus recte coniuncta videntur. Contra si habemus: „in praesentibus priorum immemor ut fere adpoti solent“, sensus est optimus. Quid? ebriorum consuetudo nonne est, ut in praesentia praeteriti temporis obliviscantur? Quare haec: „titubans in praesentibus“ initio post „Chremes“ posita totamque sententiam hanc fuisse suspicor:

„Hic semigravis inducitur vino Chremes, titubans, in praesentibus priorum immemor, ut fere adpoti solent.“

Schol. ad Hec. III, 4, 1.

Ain'tu, tibi hoc incommodum evenisse iter? „Alia ratio est currentis ad argumentum, alia actuum comicorum. Sed perfecti poetae est, ita servire argumento, ut tamen spectator novis delectationibus teneatur. Nam in hac scena, donec perveniat ad Pamphilum Parmeno, hoc εὕρημα iuducitur, cum hoc ostenditur, quid mali sit navigatio.“

Nisi omnia me fallunt, ultimi enuntiati partes tranponendae sunt, ut habeamus haec: „Nam in hac scena hoc

εὕρημα inducitur: donec perveniat ad Pamphilum Parmeno cum hoc, ostenditur, quid mali sit navigatio.“ Sententiae totius loci causa conferas quaeso schol. ad Andr. I, 4, 1.

Schol. ad Hec. V, 1, 5.

Bacchis salve: „Non ita meretrici obsequitur senex: quamquam vult adimere timorem personae suae.“

Quid? senex non ita meretrici obsequitur? Prior nonne meretricem salutat? Contra tale aliquid hoc loco dictum fuisse: senem propterea quod prior mitibusque verbis Bacchidem adloqueretur, non continuo benevolo erga eam esse animo, sed timorem tantum ei adimere velle, cum per se probabile sit, tum ea ex re cognovimus, quod sequuntur in commentario: Credo Aedepol te nonnihil mirari: „Ipsum prooemium mollius et lenius est, ut ostendat se non iurgaturum senex.“ Lege igitur: „Non tam meretrici obsequitur senex, quam vult adimere timorem personae suae.“

Schol. ad Hec. V, 3, 35.

Haec tot propter me gaudia: „Inclusit narrationem fabulae more suo, ne haec in futuro actu exspectaremus.“

Quae via hunc ad locum emendandum ingredienda nobis sit, docemur verbo: „conclusit“, quod complures Ms. et Klotzii editiones exhibent. Hoc enim recepto simpliciter loco subvenitur, si scribimus: „Conclusit narratione fabulam more suo, ne haec in futuro actu exspectaremus.“ conf. schol. ad Hec. V, 3, 18; „Reliqua pars argumenti per μονῳδίαν narratur.“ schol. ad Hec. V, 3, 27: „Brevitati consulit Terentius: nam in Graeca haec aguntur non narrantur.“

# Vita.

Natus sum Eduardus Scheidemantel Vimariae a. d. V. Id. Martias; a. h. s. LXII. patre Hermanno, matre Charlotta e gente Bauch.

A. h. s. LXXI discipulus sum factus gymnasii urbis patriae, quod per novem annos frequentavi magistros nactus viros egregios praeter alios H. Rassowium et H. Weberum, quorum memoriam pio atque grato animo colere non desinam. Maturitatis testimonio accepto Jenam me contuli, ubi academiae civis factus per quattuor semestria scholas adii: Delbrückii, Euckenii, Gaedechensii, Gelzeri, Goetzii, Schaeferi, Ad. Schmidtii, Maur. Schmidtii, Sieversii; virorum illustrissimorum, ex quibus Goetzius eximia erga me benevolentia atque liberalitate me quam maxime sibi obstrinxit Jenae duo per semestria et seminarii philologici sodalis fui ordinarius et exercitationibus seminarii Germanici Sieversii, viri clarissimi, auspiciis institutis interfui. Tum per unum semestre Berolini commoratus, ubi audivi Kirchhoffium, Vahlenum Zellerum, Lipsiae studia sum persecutus, ubi per haec duo semestria docuerunt me: Ecksteinius, Heinzeus, Ribbeckius, Voigtius, Zarnckeus. Exercitationibus suis frui ut possem, liberaliter concessere Lipsius, Ribbeckius, Zarnckeus, quibus cum omnibus tum maxime Ribbeckio summas nunc ago gratias.

This book should be returned to the Library on or before the last date stamped below.

A fine of five cents a day is incurred by retaining it beyond the specified time.

Please return promptly.

DUE NOV 16 1915

MAY 25 '66 H

CANCELLED

1990

Le 10.15
Quaestiones Euanthianae.
Widener Library 006530789
3 2044 085 199 230